6
20-d
68

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 H
3

Bibliotheca
[Ma]iori Coll. Rom.
[S]ociet. Jesu

20-g-13

6-20-2-68

20
f
62

D. 4/22.

PETRI L'ABBE'
è Societate IESV,

EVSTACHIVS
SEV PLACIDVS

HEROS CHRISTIANVS:

POEMA EPICVM,

Ex Legibus antiquis & nouis.

Eiuſdem { PANEGYRICI, SYLVÆ, & ECLOGÆ, MISCELLANEA, SOLITVDO,

Editio ſecunda, Erratis quibus ſcatebat purgata.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Apud IOANNEM THIOLY, in vico Mercatorio, ſub ſigno Palmæ.

M. DC. LXXII.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

[illegible] by Google

LECTORI AMICO.

AVCIS te volo (AMICE LECTOR) *appello Euſtachium heroëm Chriſtianum, heros erat ante ſuſceptam fidem, poſt agnitum Chriſtum ſemel Euſtachius bis heros fuit : Auget fortitudinem fides diuina non imminuit, & bellum poteſt eſſe pium, & armis Chriſtianis licet eſſe generoſis. Antiquæ Epopæiæ leges ſolos ferè Agamemnones, Achilles, Ajaces, appellabant heroës; Epopæia recens ſuos habet Con-*

ſtantinos, Martellos, Carolos, Ludouicos, Scandebergos, & alios : Cur ergo heroës non ſint Chriſtiani duces, antiquis heroïbus pares meritis, & maiores. Nam quales illæ leges antiquæ, quas nec minuere liceat, nec augere? cur Philoſophiæ, & Matheſi addi aliquid poteſt, nihil Epopæiæ, & tamen boni ingenij eſt aiebat Philo, dum ſtudes ſcientiis, aliquid noui inuenire, & dum diſcis, docere aliquid poſſe. Laudo antiquas leges Poëmatis Epici, & amplector nouas; quid nouum ſit in hoc Poëmate, dicam aliquid Lectori ſeuero, & Tu plura diſces dum Poëma leges.

Quid autem verum ſit de Euſtachio? quid ſimile vero, Eccleſia hiſtoriam docet, Poëſis fabulam: cur ſex libris Poëma concluſerim, plures nolui; cur aliquos verſus imperfectos reliquerim,

rim, nulla lex vetat, nulla præcipit; abſoluere illos vix potui, vix volui, & fortè meliores ſunt manci quam integri: cur in Panegyricis, & Syluis non ſemper ſtylus æqualis ſit, neque ipſa materies ſemper æqualis, neque ætas authoris ſemper æqualis fuit.

LECTORI SEVERO.
Quale genus ſcribendi.

AVDAX quæſtio, & quæ cenſorem facilius inueniat quam Iudicem, quis ſtylus ad Poëma videatur eſſe optimus, an Virgilij, an Lucani, an mixtus ex vtroque, Lucani aliquid habens, & plus Virgilij. Placet pleriſque Vir-

gilij majeſtas, dictionis puritas, iudicij maturitas; placet aliis feruor Lucani, ſententiarum acumen, verborum lumen: Nec pauci ſunt quibus vterque author placet, ſed non ſolus; fortè vnus maturior eſt, alter acerbior, fortè alter temperaret alterum, & efficeret tertium, meliorem ſingulis, & vtriſque parem: talis eſt Autumnus inter Æſtatem & Hyemem, talis Aurora inter Auroram, & Veſperam, talis meridies inter ortum diei & occaſum.

Mihi ſanè tertius hic ſtylus ſemper placuit. Lucani aliquid habens, & plus Virgilij: placet Euphrates, & Tygris, placet Arar & Rhodanus, placet vterque mixtus, ex vtroque tertius: impellit Ararim Rhodanus, retinet Rhodanum Arar: alter alterum temperat: ſic

ſic temperatus ingreditur mare regali curſu ; minus placeret alteruter, ſi eſſet ſolus.

Atque hic eſt ſenſus meus, tu ſi aliter ſentis, ſeuere Lector, non damno iudicium tuum, ſed Tu ne accuſa meum. Vale, & ſi vis faue, aut ne noce.

ARGVMENTVM
totius Operis.

PLACIDVS ſeu Euſtachius ſub Veſpaſiano, Tito, Trajano, dux militiæ illuſtris, ſecundus ab Imperatoribus, vel tertius fuit: vocatus deinde ad meliorem mi-

litiam

litiam ab ipſo Chriſto inter cornua cerui ſub imagine Crucifixi apparente, tot cruces, & tam aſperas tulit, vt alter Crucifixus appellari poſſit: amiſſis primùm bonis, deinde vxore, & liberis, exul, inops, ignotus omnibus, & penè ſibi, ruſticam vitam totis quindecim annis exegit, & latuit; Quæſitus tandem Trajani iuſſu, & inuentus difficili bello Imperator præficitur, & hoſtes vincit. Quæſitus inter arma ab vxore, & inuentus nec agnitus, neque ipſe agnouit vxorem dum vidit: Et liberos quoque ſub ſe milites habuit; neque illi agnouêre Patrem, ſed ducem: denique non caſu, ſed diuino impulſu inuentus eſt ab vxore, & liberis, & agnitus, & ille

ꝫnouit agnoſcentes ſe. Atque
c præcipuus Poëtæ ſcopus eſt.
ecuperatus poſt quindecim an-
ɔs Pater à liberis, recuperata
ϲor, & liberi à conjuge & paren-
: prædicitur denique, non ex-
icatur reditus Romam, appara-
ıs ad triumphum, & pro trium-
ıo ſupplicium,& martyrium.

Narrant hanc Euſtachij hiſto-
am, Eccleſiaſtici Authores, &
:ofani; ex illis Baronius, ex illo
ıij.

Hoc Argumentum hiſtoriæ; at
.bula Poëmatis longè aliter rem
ϲplicat; non orditur ab eo quod
:imum eſt, nec in eo deſinit
uod eſt poſtremum, exordium
peris eſt medium, & finis princi-
ium; nec ſequitur dierum ordi-

nem,

nem, nec annorum, intra diem vnum plures dies, intra annum totam rerum ſeriem colligit, nec omittit aliquid dum plura dicit quàm omnia, nec perturbat rerum veritatem dum confundit ordinem: Scilicet hic finis primus Poëmatis, delectare, vt placeat, euentus rerum mirabiles, Peripetias, Epiſodia aut fingit aut inuenit; admiſcet alloquia hominum, colloquia ſuperûm, atque hæc omnia ſic temperat, vt dum admirationem excitat, creet voluptatem: Neque tamen hic præcipuus eſt Poëmatis ſcopus, inſtituere debet verum Principem, & ad magna promouere; docere debet vbique locum eſſe virtuti, etiam inter arma, bellum profanum

ıum eſſe poſſe & ſacrum, licere ırmis eſſe piis, & fortitudinem ɔellicam poſſe eſſe Chriſtianam, :um denique heroëm eſſe verum, ʇui maior homine accedit ad Deum.

Talem proponit Poëta Euſta-:hium bis heroëm, ſemel marty-'em; talis deſcribitur ſex integris ibris, & poterat Author plures ıddere, ſi narrare martyrium vo-luiſſet; ſed Poëtam agens non hiſtoricum, reliquit martyrem hiſtoriæ, & in Poëmate deſcribit heroëm.

FACVLTAS
R. P. Prouincialis Societatis IESV in Pronincia Lugdunenſi.

PAVLVS SVFFREN Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi : iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis conceſſum, quo prohibetur omnibus Bibliopolis, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, & nuper à Ludouico XIV. regnante, 5. Decemb. 1650. permittit IOANNI THIOLY Bibliopolæ Lugdunenſi, vt librum, cui inſcriptio eſt, *Euſtachius, ſeu Placidus Heros Chriſtianus*, *Poëma Epicum ex legibus antiquis & nouis*, Authore PETRO L'ABBE' Societ. IESV, ad decem proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 23, Octob. an. 1671.

PAVLVS SVFFREN.

EVSTA

EVSTACHIVS
·EROS CHRISTIANVS.
·OEMA EPICVM,
ex legibus antiquis, & nouis.

SYNOPSIS
Libri primi.

BIBLIOTECA ... VITTOR ...

EVSTACHIVS, ſeu Placidus captâ Babylonë circa Edeſſam Meſopotamiæ vrbem Romanis amicam caſtra lo- at. Rex Abagarus eius Abagari nepos, cui ·iſtus effigiem vultus ſui dono miſit, Placi- n amanter excipit; & Deo reuelante Chri- num eſſe ſciens, effigiem vultus Chriſti ei ndit; ſuadet deinde vt Thadæum adeat Ere- am, eius Thadæi diſcipulum, qui Edeſſæ ıngelium nuntiauit, habitantem in ſylua vi- ı, & prophetico ſpiritu futura prædicentem.

A Thadæus

Thadæus Placido conuerſionem, exilium, Theopiſtæ vxoris, & liberorum ſortem declarat: Ariſtum cæleſtem genium nuper ad ſe è cælo miſſum Placido viæ comitem, & quaſi Raphaëlem adiungit: ille Placido bellum à Parthorum Rege parari declarat: mittitur à Placido Edeſſam Ephœbi honorarij veſte induendus: Arades Rex Heniochorum Trajano amicus per nuntium de apparatu belli Parthici monet Placidum, qui conſilio ducum habito de re tota deliberat. Eunti è caſtris ad Regem Edeſſæ occurrit Ariſtus ſub veſte Ephœbi militaris: Placidus cum Rege de bello conſilia agitat; inuitatus ad cœnam craſtinam ad caſtra cum Ariſto redit: Parthus per fecialem inſolentibus verbis bellum indicit, niſi Romanus ex toto Oriente intra menſem excedat: Fecialis à Placido riſu & minis excipitur.

LIBER PRIMVS.

NON ego vos Muſæ, nec te genialis Apollo,
Nec te, cui cerebrum Iouis eſt natalis origo,
Nec te, quem petaſus famulum, & talaria plantæ
ſorem fecere Deûm; nec cætera turba
ituum, indoctæ plebis mendacia docta;
ı ego vos imploro cliens, vos fabula vatum,
ı vatum tutela eſtis: Te Spiritus alme
›co, tu Verbi divini, & Patris amantis
:edis ſpiratus amor; tu pectora vatum
dicis afflas animis, ſacroque furore
uſos arcana doces myſteria rerum,
ogis diuina loqui: ſi carmina vati
iras, mentemque imples, vireſque miniſtras;
oëm cano, cui veterum mendacia vatum
ı finxere parem, minor eſt generoſus Achilles,
ninor Æneas; fecit quod fabula finxit,
ıperat figmenta fides, ille orbis Eoi
:rium & Romæ ſolem ſubiecit vtrumque;
: Placido nomen, pietate illuſtris & armis,
ıeritis, docuit bellum poſſe eſſe profanum,
ellum poſſe eſſe pium. Muſa ergo ſonora
:llam bello captam, & Teſiphonta reductam,
tiuum Perſam, & Medum, Parthumque ſuperbum,
orem Regum Placidum, ſponſamque receptam,
:ducem prolem, & viuum inter ſydera Taurum,
a cane, adſpirante Deo, Placidoque fauente,
ıudes animante ſuas.
ictrices Placidus capta Babylone phalanges
urſis latè ſpatiis, fluuiiſque natatis,

Duxerat ad medios inter duo flumina campos,
Inde loco nomen, totuſque eſt Inſula campus,
Inſula centum vrbes, & ſeptem regna coërcens.
Non alia æqualis toto ſpectatur in orbe,
Euphrates, Tigriſque ingens, fluuiique minores,
Regali inceſſu regionis plana coronant
Æquora. Talis erat Paradiſi Gloria primi:
Et fortè hîc Paradiſus erat.
Iamque fatigatus miles tentoria latè
Fixerat, & medios inter tentoria vicos
Diſtinguens, amplam ſine ſaxo, & mœnibus vrbem,
Et tectas ſine tecto ædes, arceſque ſine arce
Struxerat, & ſolidas nullo fundamine turres;
Tela lapis, velum paries, & carbaſa tectum,
Fundamen paxillus erat. Spectabat Edeſſa
Vicinam vicina vrbem, paciſque ſequeſtræ
Officiis populus ſecum certabat vterque:
Et pulchrum certamen erat, cum milite civis,
Et miles cum cive pares, ſibi quiſque ſodalis,
Quiſque ſibi convictor erat, penè altera Roma
Edeſſa, aut Romæ pulchra apparebat imago.
Interea magnæ Abagarus Regnator Edeſſæ,
Regales Placido lætus pendebat honores,
Et Maieſtatem Romæ, faſceſque, Aquilaſque
Devenerans, fidi malebat iura clientis
Quàm ſocij titulos, & amici nomina Regis.
Nec minus acceptos Placidus referebat honores,
Appellans Regem Abagarum, & ſe Rege minorem,
Certabantque pares, vincique volebat vterque.
Poſt epulas, hilareſque horas, vrbanaque verba
Subductum à turba Placidum ad Regale ſacellum
Abagarus ducit, verbiſque affatur amicis:
Ignotus mihi notus eras Chariſſime Frater,
Adventum ante tuum Pietas tua prævia venit,
Præceſſit te fama tui, vultuſque figura,
Et Placidum verax Placidi prævertit imago.
Vid

Vidi illam monſtrante Deo: ſuccede ſacello,
Spectabis viuum, pictâ ſub imagine Chriſtum,
Et te ſpectantem viuax ſpectabit imago.
Procidat ante Deum mortalis gloria faſtus:
Ille Deus, nos vmbræ ſumus, pius horror vtrumque
Corripuit, placido lachrymas expreſſit imago.
At vultum hunc (inquit Placidus) quæ dextera pinxit?
An pinxit ſe ſe ipſe Deus, pictorque & imago,
Et color ipſe ſui? qui ſolem, & ſydera pinxit,
Rex ait, hic propriâ ſignauit imagine telam,
Et pinxit Deus ipſe Deum; cauſam accipe facti.
Humanæ Verbum volvebat ſtamina vitæ
Aſſumptâ ſub carne latens, miracula rerum,
Sanati morbi, mors viua, & vita reſurgens
Clamabant veniſſe Deum; Iudæa negabat
Gentili non digna Deo, vox publica Patrem
Mouit, vt ad noſtram Chriſtum inuitaret Edeſſam,
Tutum à Iudæis fido ſub Rege futurum.
Ille Palæſtinis non digreſſurus ab oris
(Sic erat in fatis) oblatam à milite telam
Attollens, vultuque premens, atque oſcula figens,
Arte noua proprij ſignauit imagine vultus,
Ipſe Opifex, & opus, color, & pictura coloris.
Non ſic oppoſitam ſol pingit imagine nubem,
Non oculos, non ſic frontem, non oris honorem,
Lucenteſque orbis radios, aurique coronam
Exprimit, & grauidâ de nube parelia pingit:
Et quamquam artificem ſic vera imitatur imago,
Et dubites ſitne ille Parens, & filius ille,
Verior hæc tamen eſt Chriſti pictoris imago.
Talis erat qualem eſſe vides, ſic ora ferebat,
Sic oculos, tales formabat lingua loquelas;
Nunc quoque ſpectare, & fari diuina videtur
Verus homo, veruſque Deus ſub imagine viuus.
Hoc opus Abagaro Chriſtus tranſmiſit habendum,
Impleuitque Deum diuini pignore vultus.

O tu (inquit Placidus) fortunatiſſime Regum,
Cui ſacrâ viuit præſens in imagine Chriſtus,
Et magnæ eſt tutela domus : hæc, inquit, imago eſt
Viſa mihi quondam, & pendens ex arbore Chriſtus.
O mihi ſi liceat pro vita reddere vitam,
Et pro morte mori ! Placide hæc heroica vota
Narrabat de te quamuis abſente Thadæus,
Rex ait, & maiora olim ventura canebat.
Mirabar quod nunc video; vis vatem adeamus ?
Non ignotus eris, dicet venientia fata;
Et præſtat rerum cauſas, euentaque ſcire.
Ire placet puero ductore Euſtachius inquit,
Nec tamen vt credam mortalem conſulo vatem,
Credo Deum ſine vate Dei, Deus ipſe prophetes
Et vates eſt ipſe ſui. Sic fatus ad ædem
Fatidici vatis ſine teſte, & milite ſolus
Carpit iter : mons aſſurgens impendet Edeſſæ
Arduus, adverſi lucus decliuia collis
Occupat, & vallem obſcurat nigrantibus vmbris,
Et noctem ſub ſole facit ; per viſcera montis
Vnda fluens ad vallem imam per rupis hiatum
Exeſum ſenſim, medias erumpit in auras
Sublimis, quantumque loco deſcendit ab alto
Compenſat caſum aſcenſu, quodque impetus artis
Non faceret, natura facit ſolertior arte.
Ad latus extremæ rupis ſine calce, & arenâ
Ex crudo lapide, & corruptæ fragmine rupis
Stat caſa ; murorum vacuos obturat hiatus
Intruſus rimis muſcus, faſtigia tecti
Cancellata arbor, deciſaque brachia quercus
Efficiunt, fagique latens membrana ſub herba
Arcendæ pluuiæ, ſoliſque ardoribus apta.
Porta ingens quercus, folia exſiccata cubile,
Petra rudis menſa, anguſtum ſpelunca ſacellum.
Fatidici hæc ædes vatis, breuis hortulus herbas,
Fons potum, baccas ad menſam palma miniſtrat.

ac dape centenos vates exegerat annos,
ecdum annis exhauſtus erat, iuueniſque, ſenexque.
Additus annoſo vati conuictor eremi
ılveſtris puer, at vultu cæleſtis Ephebus
ates alter erat; ſæpe illum ſpiritus idem
fflabat, plenuſque Deo ventura canebat.
t placidum vidit venientem, excepit honeſtè
buius, & vatem accerſens, veloxque reuertens,
ic ait eſt vates ille, & ſeceſſit in hortum:
umque orat, Placidi vitam, moreſque, ſtatumque
gnouit monſtrante Deo, venturaque vidit.
At vates placidum amplectens, & nomine auito
ppellans, Euſtachi, inquit, ſimul ore precemur,
t pronis genibus magnum veneremur IESVM.
um ſurgens, quàm lætus, ait, chariſſime fili
'e video, quem ſæpe mihi monſtrauit IESVS,
udi fata tui; venator ſtrenuus ibas,
t magnæ molis ceruum ferroque, manuque
rgebas, & te inſidiis vrgebat amicis
enator Chriſtus, ſtetit inter cornua Cerui,
idiſti, audiſti vocem, & turbatus, equoque
apſus adoraſti Numen, iuſſuſque redire
idiſti viſum ante Deum, vocemque loquentis
udiſti, nomenque tuum, venturaque fata,
ortandamque crucem, quam Chriſtus nobile pondus
uſtinuit, ponduſque ſuis legauit amicis;
t tu exantlaſti pondus, cùm ex divite pauper,
t geminis natis, & matre, ac coniuge chara
rbatus, claroque humilis de principe ſeruus,
enales operas herbis, plantiſque dediſti,
gnotus Romano orbi, ſed cognitus aſtris.
Hæc tua ſors olim; ſi quæris fata tuorum,
xpediam paucis; viuit chariſſima coniux
ida Deo, atque tibi, viuunt duo pignora nati
olliciti de patre ſuo, ſimileſque parenti
'raducunt inopem vitam, quamque ipſe tuliſti,

 Hanc

Hanc tolerant ipſique crucem; ſed tu optime fili
Enarra quis te caſus ſubduxerit horto,
Et ſæuo agreſtem mutauerit enſe ligonem.
Ignotus populis, & ſolis cognitus herbis
Viuebam oblitus belli, pacemque colebam,
Nemo mihi, nulli hoſtis eram, breuis ambitus horti
Tota erat ambitio, & votorum meta meorum,
Nec meus hortus erat,ſed heri,Dominique potentis,
Seruus ego,& cuſtos, plantas, herbaſque colebam,
Et lachrymis ſæpè, & multo ſudore rigabam;
Creſcebant herbæ, plantæque hoc flumine paſtæ,
Et Domino floreſque mei, plantæque placebant.
Quin etiam cæleſte aliquid meus hortus habebat,
Et flores mihi ſydus erant, & ſydera flores.
Ipſe etiam Chriſtus flores dilexit & herbas,
Ipſe olitor, flos ipſe fuit; dum paupere in horto
Pauper eram,& diues, toto perquiror in orbe,
Mutaram faciem, & veteris nihil oris habebam,
Detexit me fama mei, vultuſque fefellit
Agreſtis licèt, & veteris veſtigia formæ,
Et plaga in vultu, plagæque relicta cicatrix.
Trajani iuſſu ſacco me miles agreſti
Exuit inuitum, bellique inſignia, clauam,
Atque enſem, radiumque dedit; parêre coactus
Exuuias veteres inuitus & arma reſumpſi.
At vereor, ne dum mortali obtempero Regi,
Non placeat ſors iſta Deo; cur arma reſumo?
Crux oſtenſa mihi eſt, pendenſque ex arbore Chriſtus,
Non enſis, non viſa chlamis: ſanctiſſime vates.
Si Ducis inſignem radium, clauamque magiſtram
Exuere, agreſtique iubes mutare ligone,
Si comitem, aut famulum dilectæ admittis eremi,
Muto ducem, & vili famulus ſub ſyndone fio,
Et viſæ me reddo cruci; res vna tenebat
Sollicitum, vxoris pudor, & fortuna meorum:
Nunc quoniam viuunt inopes, viſamque parenti

Patrici

Participant cum Patre crucem, placet hæc mihi vita,
Quam didici monſtrante Deo, ſecedite honores,
Crux olim mihi viſa placet. Chariſſime fili,
Ne dubita, vates infit, fortuna coloni,
Agreſtiſque ligo aurato pretioſior enſe
Et melior ſors hortus erat; tamen hæc quoque vita
Virtuti ſeruire poteſt, cæloque placere.
Audi venturos caſus, decretaque fata,
Bella iterum Romana geres, Parthoſque rebelles,
Et Perſas, Medoſque graui certamine vinces:
Pugnabunt ignota tibi tua pignora tecum,
Et vincent pro Patre ſuo, cariſſima coniux
Quæſitum inueniet tandem, agnoſcetque maritum,
Vulgabit totis Deus hæc miracula caſtris,
Credetur Deus eſſe Deus; nec finis honorum
Hic erit; expectat maior te gloria Romæ,
Victrices aquilas Tarpeiam victor in arcem
Aduces, meritum decernet Roma triumphum.
Eſt alios Placido Chriſtus decernit honores,
Crux oſtenſa tibi eſt, fiet crux viſa triumphus,
Sed fiet crux pœna prius; cogêre profanis.
Thus adolere Diis, aut thus, & victima fies.
Et memor oſtenſæ crucis, enſes inter & ignes
Immorere, & vitam Chriſto cum ſanguine redde,
Ac mirare Dei ſtudium, curaſque fideles.
Ne te bellorum ſæuus furor, iraque præceps
Incautum abripiant, fidum tibi Chriſtus amicum
Prouidit belli comitem, appellabis Ariſtum,
Ille meæ venit nuper conuictor eremi,
Cuî genus, vnde domo tacuit, dixitque tacendo,
Ni fallor, ſuperis venit delapſus ab aſtris,
Ille tibi vates erit, & ventura docebit,
Raphaël alter, ducet per iniqua viarum,
faciet ſi deſit iter.
Accerſamus eum, præſtat ſociare volentem;
Is Placido ire comes, monitorque fidelis Ariſte

Exercendum illi per dura pericula bellum,
Conſilio monitoris eget ; tu vota precantis,
Et cœli reſponſa feres, Placidumque monebis,
Ille ſalutis amans timet inter crimina crimen:
Vix ſuperis bellum placuit, vult ille placere :
Quid noceat dices , & te monitore cauebit.
Et famulus ſociuſque ibo, reſpondit Ariſtus,
Ductor erit, rectorque Deus,quæcumque iubebit,
Hæc ego iuſſa feram ; bellum tamen anxia res eſt,
Et virtus bellare timet : Cælo ergo iubente
Bella gere Euſtachi, belli comes ipſe fidelis,
Et bellator ero. At quales Euſtachius inquit,
O Domini grates referam ? tu Chriſte repende,
Et Placidum ſupple ; at quali dignaris honore
Indignum famulum ! crux ergo meta laborum ,
Crux pretium,merceſque mea eſt, tua munera Chriſte
Admitto, ſpinaſque tuas deuotus adoro ,
Oſtenſamque crucem per dura, per aſpera quæro,
Et mortem per mille neces. Quæ gloria major ?
Quàm parêre Deo, mortemque rependere morti,
Atque aliquid donare Deo ; nec præmia quæro
Aſtra tamen, totuſque Deus ſuper aſtra videndus
Victorem manet, & fixum poſt tempora tempus,
Quid tantum Trajane dabis ?
Ite boni iuuenes,vates ait,ipſe precabor
Interea,& flebo ; conantem dicere plura
Interrupit amor, lachrymæque per ora volutæ
Suppleuere vicem verborum ; amplexus vtrumque
Pendentem è genibus benedixit , fleuit, amauit,
Et fleutes ad primum aditum deduxit eremi.
Exierant luce, Placiduſque affatus Ariſtum
Qui genus ille ſenex,vnde hæc ſapientia vati.
Os aliquid cœleſte ſonat ; dicam, inquit Ariſtus.
Thadæus Chriſti auditor legatus Edeſſam
Abagarum Regem, & populum luſtralibus vndis.
Abluit, infantem hunc vt primùm vidit, amauit,
Nomen

Nomenque,& puero impreſſit virtutis amorem,
Ingreſſus vaſtam Edeſſæ ſeptennis eremum,
Centenos illic exegit temporis annos,
Nec centum fecere ſenem, nec adiuit Edeſſam;
Sæpe tamen vatem numeroſa inuiſit Edeſſa.
Ille pius cunctis inſpirat verba ſalutis,
Et pater eſt, patruuſque vrbis, tu frater Ariſte,
Oro, inquit Placidus, ſi me peccare videbis,
Argue,tu belli monitor,morumque magiſter
Erroris conſors fies errante cliente,
Et lapſus communis erit; ſed ruſtica veſtis
Mutanda eſt meliore ſago,impexuſque capillus,
Et neglecta oris ſpecies: ergo indue formam
Illuſtrem,& qualis juueni debetur Ephœbo,
Et Ducis armigero,galeam,plumaſque volantes,
Auratumque enſem,& clypeum: pergo inquit Ariſtus
Et redeo, ſed pauca prius ventura reuelo,
Quæ didici monſtrante Deo,tu profice dictis.
Ex Ducibus quos ire vides, hic nomine Florus,
Cui legio paret generoſa à fulmine dicta;
Hic vnum,verumque Deum cum milite credit,
Exhorretque Deos; erit hæc heroica turma
Fida tibi,quæ fida Deo eſt. Alij quoque Chriſtum
Occultâ pietate colunt; ſi colligis omnes,
Publicus incipiet caſtris clareſcere Chriſtus,
Et Petri Romana fides; nunc accipe bella
Ventura,& caſus prudens præuerte futuros.
Arma parant Medi,& Perſæ,Parthique feroces,
Et coniuratas cogunt ad bella phalanges;
Et tu Romanas accinge ad prælia vires,
Trajanumque mone,& belli diſcrimina pande.
Interea quidquid medij duo flumina campi
Includunt,vrbeſque omnes,arceſque capeſſe,
Vt caſtris ſint caſtra tuis; I promptus,& omnes
Coge duces,Regem deinceps aditurus Edeſſæ,
Ipſe Deum votis placabo, & ſi quid olympo

Diſpliceat,

Diſpliceat fidus monitor, famulusque docebo.
Caſtra reuiſebat Placidus, reputanſque futuros
Bellorum euentus, animum ad ventura parabat,
Sperabatque Deum; mirati incedere ſolum
Occurrere duces, mediumque ad caſtra reducunt,
Lætatus miles reducem clamore ſalutat
Solenni, it cælo Placidi cum nomine clamor;
Clamorem audiuit vicina Edeſſa; ſed ecce
Inter lætitias peregrini nuncius oris
It currens, & penè volans, Placidumque requirit,
Et ſolum ſine teſte petit, conclaueque ſolus
Ingreſſus; bellum, Euſtachi, bellum imminet, inquit,
Heniochæ gentis magnus Regnator Arades
Romulidum genti, & Trajano fœdere iunctus,
His verbis teſtata meis tibi nuntia mandat.
  Iurati Perſa, & Medus, Parthuſque ſuperbus
Vicinos circum populos, genteſque remotas
Ad libertatem Patriæ, Romæque ruinam
Sollicitant, timidoſque minis hoſtilibus vrgent,
Audaces ſpebus magnis, & honoribus augent.
Rex meus armorum nulli virtute ſecundus,
Doctrina primus, nuper tentatus ad arma eſt,
Promiſsâ parte imperij; ſi Cæſaris hoſtis
Communem vellet Romæ iurare ruinam,
Et pactam mutare fidem; Reſpondit Arades
Se fore Romanum, vel ſi Roma ipſa periret.
Dicta dies bello eſt, caſtriſque Arbella locandis
Deſignata quies, variis dum miles ab oris
Adueniet, fiatque acies ex pluribus vna.
Inde iter ad Tygrim fluuium, Euphratemque futurum,
Et latè incluſos inter duo flumina campos,
Fatales Craſſo campos, Romæque futuros:
Sic eſſe in fatis, & Dij ſi fata recuſent,
Facturos aliud fatum, & noua Numina Parthos.
Interea fidei retinens Regnator Arades
Millia dena hominum Romanis viribus offert,

luctorem, aut natum vix Patre minorem.
erat & Placidus detractam ex indice gemmam
ueni; maiora, inquit, dat munera Cæſar,
hoc pignus habe Romani pignus amoris.
ır gemmam iuuenis; nec tota ſmaragdus,
non tota viret; nec tota eſt gemma pyropus,
on tota rubet; nec tota eſt flamma, nigreſcit,
itque ſimul, plures habet vna colores,
bam appellant, vna eſt, & plurima gemma.
antem excipiunt iuuenes, & multa rogantem,
rogant, interque epulas, & prælia amica,
, & bellum ſimul inter vina geruntur.
lacidus, primoſque duces, vetereſque Tribunos;
:, & belli vicina pericula narrat:
inquit, parat arma hoſtis, Regnator Arades
:hæ gentis, Romæ iuratus amicus
et armari Perſam, Parthumque ſuperbum,
um affines populos ad bella cieri,
à Partho diuiſum gentibus orbem,
ıinam Romam promitti in præmia Regum;
eges donare poteſt; hæc barbara probra
lerare animus debet, nec Roma ſilere.
rgo ſocij, ſupereſt hæc vltima pugna,
ıic militiæ finis, cum mundus vterque
erit; neque enim Medus, Parthuſque timendus;
pugnare ſolent per inane ſagittis,
unt per inane leues, ex millibus vna
ɔeos vix lenta venit, ſparguntur in auras
:nte aura, ventoſque, & nubila tranant,
quem curſum tandem languentibus alis.
nt, & ſpontè cadunt ſine vulnere tela.
æ fugiunt Medi, Parthique ſagittæ.
m fugient, ſi nos inſtare videbunt,
ıus ſolis oculis, nec debilis hoſtis
ıdus tamen eſt; fallit, dum vincere neſcit,
ūm non tam vicit, quàm fraude fefellit;

Dùm

Dum fugit immiſſis pugnat poſt terga ſagittis,
Et ſæpe incautos reflexa cuſpide lædit :
At nos obiectis clypeis venientia tela
Impete reflexo denſum mittemus in hoſtem,
Et telis cadet ipſe ſuis, fugienſque peribit ;
Nec Parthi,Perſæque phalanx numeroſa timenda eſt,
Non hæc heroum eſt acies,ſed turba volucrum,
Et numerus numerum premet, & ſe vincet vterque,
Nos ſpectatores erimus, teſteſque ruinæ ;
Vndique dicuntur venales ire cateruæ,
Iam deſignata eſt caſtris Arbella locandis ,
Fatalis campus Perſis, vbi Græcia quondam
Darium vicit,nec par eſt Græcia Romæ.

An expectandum eſt,dum nos prior impetat hoſtis
An ſociæ gentes Romana ad bella vocandæ ?
An ſupplendus eques, mileſque,an Roma monenda ?
Dicite,conſiliis aderit victoria veſtris.

Arma paranda omnes exclamant vocibus vnis ;
Scipiades primus meritis, & maximus annis,
Præuertendum hoſtem docuit me plurima pugna,
Quam pugnaui, inquit,vincit,qui vincere primus
Incipit,obruitur primis aſſultibus hoſtis,
Et læſus repetitum ictum depellere neſcit.

At prius implendas exhauſto milite turmas
Arbitror, Æneas inquit, tunc agmine pleno
Ibimus, & ſolo aſpectu terrebimus hoſtem ;
Dat numerus vires,& miles milite creſcit
Et clypeus clypeos,haſtam comes adiuuat haſta.

Et ſocias gentes ad fœdera noſtra vocandas
Cenſeo, ait Lepidus, ne Parthica ſigna ſequantur,
Fiet Arabs hoſtis Romæ, niſi fiat amicus.

Aſt ego, ait Brutus, celeri curſore monendum
Cenſeo Trajanum ; Romanæ gloria famæ,
Et ſumma imperij pugna vertuntur in vna :
Si placet, ipſe celer curro, veloxque reuertor,
Narrabo eoi diſcrimina proxima belli ,

Aduent:

luentare acies, famamque præire ſuperbam,
ncendam primo belli certamine Romam,
omanas acies intra duo flumina clauſas
xpectare hoſtem poſſe, at vix vincere poſſe
ncendo exhauſtas, & poſt tot bella minores.
Cæſar veniat præſentis nomine famæ
ncendum ſine pugnâ hoſtem, Parthiſque ſubactis
l Gangem faciles aditus, Indumque futuros:
is monitis Cæſar, victi cui gloria Gangis
la deeſt, velox armatum curret in hoſtem,
it promptas acies, & caſtra volantia mittet:
ſe acies cogam, & celeres vrgebo cohortes.
ox vbi plena acies, alacres curremus in hoſtem.
Placide abſentis ſupplebis Cæſaris arma,
nobis Trajanus eris. Telamonius addit,
erea Tygrim fluuium quâ parte natari,
anſmittique poteſt, armandus turribus altis:
ponendæ arces, & propugnacula ripis,
dendæ latè ſyluæ, ponteſque parandi
ponendi vndis, prohibendis curſibus hoſtis,
nobis tutus ſine nauta, & remige curſus.
Et Babylon, inquit Balbus, ſtatione tenenda eſt.
potens olim, reginæque æmula Romæ,
nc etiam regnum ambiret, ſi vincere poſſet,
ſidio firmanda nouo eſt, ne libera Romam
ſerat, & Dominis fiat Roma altera Parthis.
ſte duces, inquit Placidus, ſi Cæſar adeſſet,
n aliter ſaperet; veſtras luſtrate cohortes,
na parent alacres, & cras ſtipendia ſperent.
, Lepide, ad ſocias gentes, & fœdera necte,
mitte, & dona, nec auaro parce metallo,
c pretio eſt venalis Arabs, emiturque Sabæus.
, Brute, & Trajanum vrge ſuccurrere Romæ;
Romæ fortunâ agitur, victoria noſtra eſt,
elox Cæſar venit, aut pro Cæſare Roma.
Telamon alnos, proceraque robora cæde,

Naueſque

Naueſque ex alnis, ex robore conſtrue pontes,
Et fluuiis arces, & propugnacula pone.
Tu Balbe vndecimam,nonamque aſſume cohortem,
Et muros Babylonis adi, turreſque ſuperbas
Euerte, & Babylon vicus ſine nomine fiat,
Ne Partho & Medo fieri velit altera Roma.
Dixerat,& Satyrum per caſtra, & compita ducit;
Ille nouam admirans ſine calce & mœnibus vrbem,
Purpureas, virideſque domos, ſublimia tecta,
Regaleſque aulas,vacuaſque vxoribus ædes,
Armatoſque viros ſimiles heroibus omnes:
Hæcne,ait,eſt hominum Placide,aut habitatio Regum?
Victus adoraret Parthus, ſi hæc caſtra videret.
I Satvre, & viſas Regi deſcribe cohortes,
I comes,& Regem pro me Marcelle ſaluta,
Dic expectari Trajanum,& Cæſaris arma,
Et ſparſas circum per proxima regna phalanges.
Mox vbi plena acies, collectæque vndique vires,
Progreſſuram aciem per Tygrim ponte ſubactum
Arbellam verſus, fataleſque hoſtibus agros.
Tu quoque Rex dices, promiſſas collige vires,
Vt noſtris ſociæ poſſint occurrere turmis,
Fiatque ex variis populis exercitus vnus,
Sors æqualis erit, communiſque alea belli
Partiri mundum Parthus promiſit eoum,
Sors tua Medus erit, Romæ ſors altera Parthus.
Hæc dices, Regique vicem, grateſque rependes.
I velox,interque vias fineſque viarum
Explora populorum animos, & collige famam,
Sæpe loquax verum, ſæpe,& mendacia dicit,
Ex veris,falſiſque ſagax myſteria noſcam,
Et Vates mihi Parthus erit.
His dictis Regem Abagarum feſtinus adibat,
Nec procul in iuuenem mutatus Ariſtus ephœbum
Obuius occurrit vultu viſendus honeſto.
Cæſaries per colla fluens, impexa ſine arte.

Omnem

nem artem ſuperat, veſtis ſinuoſa coloris
ulei, zonâ ad renes ſuccingitur albâ.
uſæ caligis ſuræ ſub poplite nudo,
eus ex humero ad læuam ſuſpenditur enſis.
atur iuuenem Placidus, non pulchrior exit
ſphorus è media cæcæ caligine nubis,
: ſol ex mediæ noctis nigrantibus vmbris
ectis latè nebulis formoſior ora
rit, & pulchram ſpargit toto aëre lucem.
Huic Placidus, quæ tu frater ventura monebas,
nia venerunt, bellum imminet, vndique bellum,
uidi caſtris, ſocias ad prælia gentes
co, Trajanum monui. Perge, inquit Ariſtus,
naiora ſcies, Regem quoque Parthus Edeſſæ
citat, mediaſque vrbes, & flumen vtrumque,
quoque captiuum donat, ſi fœdera iuret,
Romæ velit eſſe hoſtis. Rex cætera dicet.
ngreſſum Abagarus Placidum blando ore ſalutat,
u, ait. Euſtachi Romæ me credis amicum?
s eram, ſed nunc Reges, promiſſaque Regum
ianis fecere hoſtem, nec ſpernere Reges,
poſſum oblatis Romam præponere regnis.
ec tuus eſt venalis amor, nec fœdus auarum,
fragilis inrata fides, Euſtachius inquit,
eges fidei Chriſtus vult eſſe tenaces.
neæ, fideique tuæ ſit teſſera Chriſtus,
ait, hanc Parthus toto non emerit orbe.
go, inquit Placidus, fœdus remouemus auitum,
a parat velox Parthus, verbiſque ſuperbis
n nondum vicit ſociis iam diuidit orbem.
i iuratum fœdus, meditataque Regum
ilia, Heniochæ gentis Regnator Arades
tum miſit, qui me Romamque moneret;
ue ego Trajanum monui, venturaque Romæ
lia expecto, & Cæſar forte ipſe phalanges
t, & occiduus veniet cum Cæſare mundus.

Ni

Ni veniat, tu Rex, mecum, cum Cæſare Cæſar,
Et mecum Trajanus eris; quid ab hoſte timendum,
Interea nos ipſe doce, tua iuſſa ſequemur,
Et belli tu rector eris.
Victores Euſtachi erimus, ſi vincere primi
Incipimus, primum vulnus victoria prima eſt,
Ingenium noui Parthi, moreſque, animoſque.
Aufugiet victus, ſi nos inſtare videbit,
Inſtabit timidis, & figet terga ſagittis;
Ac velut vrget oues pauidas lupus, incubat, inſtat,
Nunc illam, nunc dente aliam ſuffigit acuto,
Huic collum obtorquet frendens, huic deripit armum,
Huic latus, huic timido tenerum caput amputat agno,
Et patulo rictu totum perterret ouile.
At ſi inſurgentem contra latrare moloſſum
Audiat, inclinans collum, caudamque retorquens
Inter crura fugit, prædamque relinquit inanem,
Et canibus fit præda lupus; ſic Perſa ſuperbus,
Et Parthi fugient, ſi nos inſtare videbunt.
Armandus tamen eſt fluuius, ne armetur ab hoſte.
Tres circa fluuios firmandæ turribus arces,
Impoſito Tigris ponte; Euphrateſque domandus,
Ne pateat Perſis aditus per flumen vtrumque,
Et nobis ſit flumen iter, faciliſque receptus.
Interea affines populos, vicinaque regna
Oblatis tenta donis, ſi dona recuſent,
Tunc expugnandæ ſubſtructis arcibus arces,
Implendæ arboribus foſſæ, crebro ariete muri
Pulſandi; inſuetus tenues fragor ibit in auras:
Audiet Euphrates ſonitum, Tygriſque timebit.
Venales Arabes Parthus, molleſque Sabæos
Oblatis tentat donis, & comparat auro;
Tu quoque venales tenta maiore metallo,
Nec tamen ingentes Arabum conſcribe catervas,
Non ſatis eſt ſecura fides, quæ venditur auro;
At belli princeps honor, & victoria prima

Romanæ

omanæ virtutis erit ; gens nulla furorem
ilitiæ primæ tolerat ; gens nulla ſecundæ ;
uicta eſt poſtrema phalanx ; hoc ſi ordine Craſſus
ıgnaſſet, Romæ mundus ſeruiret vterque.
: noſtræ hoc tecum pugnabunt ordine turmæ.
as ego Romanis ſocias miſcebo cateruis
iles ego, tu ductor eris ; lux craſtina dicet
etera, perge modo, expectat te craſtina cœna,
æfectoſque tuos, Romam, Edeſſamque bibemus.
Dum Rex auxilia, & fidam diſponit Edeſſam,
ım Placidus ſocias gentes inuitat ad arma,
ım Romam pro Roma armat ; tres orbis eo
ctores, Perſa Arſacides, Meduſque Phraates,
:thuſque Aſtyages, & Regum turba minorum
nuenêre ſimul, quos alta percitus ira
yages verbis hortatur ad arma ſuperbis.
O ſocij, non verba, inquit, ſed tela, ſed enſes,
ıeraque & mortes præſens fortuna requirit.
id Reges agimus ? quò gentis gloria noſtræ ?
ò patrius decreuit honos, & auita poteſtas ?
s olim mundi domini, Mithræque clientes,
Mithras erat ipſe cliens, nos aſtra colebant,
ıe ipſi coluere Dij : non Roma ſuperba
nc erat, & nondum geminos lupa adultera fratres
ıerat. O gentem, populumque ignobilis ortus
memorem ! hæc vilis ſoboles, & ſpuria fratrum
genies, gemini imperium ſibi vendicat orbis ;
ıque aditus noſtros, fineſque vſurpat eoos.
c Babylon princeps olim, reginaque mundi.
c Babylon Romæ ſeruit, nec perfida gentis
bitio hic ſiſtit, noſtras iam cogitat vrbes,
ıiſi vincatur, vincendi audacia creſcit.
ıtauit fines noſtros inſana Luculli
bitio, populos vicit Pompeius inermes ;
imus hunc Magnum, fecit nos ille minores ;
janus domitis Perſis, Mediſque ſubactis

Extremos

Extremos aditum per nos meditatur ad Indos.
At Craſſus Parthis pœnas dedit,ipſeque pœnas
Arſacidis Trajane dabis; nec te Indus vterque,
Nec tu viuus adhuc Indum,Gangemque videbis,
Euphrates tibi limes erit,Romanaque caſtra
Inuenient tumulos, vbi Craſſi triſte cadauer,
Et Romæ pars magna iacet; macti ergo deorum
Progenies,fratreſque Mithræ,præuertite Romam:
Qui prior aggreditur vincit,dum vincere primus
Incipit,incluſos hoſtes duo flumina cingunt,
Et nobis hæc clauſtra fauent,perrumpite caſtra,
Dum Trajanus abeſt,vtinam tamen hoſtis adeſſet
Integer,vna dies Romam cecidiſſe videret,
Et caſum Trajane tuum,nec te arma iuuarent
Occidui,mediique orbis,ſeptemque trionum.
Nobiſcum pugnant elementa,& ſydera certant,
Et bello ſol ipſe præeſt,armati elephanti
Impoſitas turres geſtant,incluſaque caſtra,
Turbabit barritus equos,equiteſque fugabit,
Et terrebit odor,ſolo vincemus odore.
Noui Romanas acies,& prælia,pugnaſque
Expertus didici; prælongis cominus armis,
Et gladiis pugnare ſciunt,at ſpicula in hoſtem
Torquêre,& cælum denſis opplere ſagittis,
Et pluere inuerſis telis,cæloque tonare
Ignorant,credent ſuperos hæc tela vibrare,
Et credent nos eſſe Deos,cælumque timebunt:
Quin etiam nec equos norunt,artemque equitandi;
Pendent ſeſſores in equis,caſumque verentur,
Et caderent, ſuppes niſi ſcandula crura teneret,
Et pendens toleraret onus,nec dextera frænos,
Læuaque,ſed dextram frænum,læuamque gubernat:
Pugnat equus,non pugnat eques.
Nos in equis ſtamus recti,erectique ſedemus,
Nos gladiis,iaculiſque ſimul,dextrâque,ſiniſtrâque
Vtimur,& fugimus celeres,celereſque redimus,

Nos

's equites, pediteſque ſumus, bellum ergo geramus,
Craſſum, Romamque iterum vincamus, & orbis
ciduus ſceptris iterum ſubdatur eois;
ignemus iter caſtris, iacet æquor inane
ellam circum, ſedes ea commoda caſtris,
obis Arbella placet; placet omnibus, omnes
lamant, caſtris apta eſt Arbella locandis.
Ie tamen, Arſacides inquit, gentilia iura
amus, bellum ſolenni more gerendum eſt,
tor fecialis eat, qui nomine Regum
pacem, aut bellum declaret legibus iſtis.
rajanus captam Babylonem, ereptaque regna
ituat Dominis, terriſque excedat eois,
ciat, certæ promitto fœdera pacis;
nuat, teſtes appello, hom ineſque, Deoſque,
lloque enſem nudum, vltriceſque ſagittas.
ido aliquid maius, grandi tonat ore Phraates,
vicinum hoſtem domitum, victoria maior
iper, occiduis Romam vincamus in oris:
illam Gallus, Romam ſæpe Africa vicit,
obis Gallus minor eſt, minor Africa bello.
terea Placidus, ſociique ad caſtra redibant,
tibi occurrens miles ſic fatur anhelans:
ebam ad ſiccas Tygris explorator arenas,
hominem teſtes ſuperos, erebumque vocantem,
, inquit, teſtem appello; miſitque ſagittam,
uitque enſem, dixitque minantia verba.
ierat, iuuenemque agnoſcit, equumque volantem,
lle eſt, hic curſor ait, nec territus ille
lat, an eſtis Romani? ego Parthicus, inquit,
or pacem Trajano, aut offero bellum;
ides Rex Perſarum, Meduſque Phraates,
ges Parthus, Trajano hæc nuntia mittunt,
le eois terris, & deſere regna
tua; ſi facias, pacemque, & fœdera iuro;
uis, teſtor ſuperos, & ſpicula mitto.

I fuge,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I fuge, ait Placidus, Parthoque hæc verba referto.
Nec Roma Arſacidas metuit, nec fœdera curat.
At vos ite Duces, & vos accingite bello,
Bellum offert Parthus, pacem mox Perſa requiret,
Nec pacem mox Roma dabit.

SYNOPSIS
Libri ſecundi.

PLACIDVS cum Ariſto ad tentorium redit; oratio nocturna Placidi; conſilium habetur in cælo de Placido, quale ferè de Iobo; Ariſtus conſilio intereſt, & cauſam Placidi agit; ſomnium Placidi, & viſio aliqua conſilij, & rerum futurarum per ſpecies dormienti Placido impreſſas ab Ariſto. Excitatus à ſomno Placidus interpretationem ſomnij quærit: vbi diluxit, Placidus caſtra luſtrat, conuocatis Præfectis indictum per fecialem à Regibus bellum declarat; recreando militi indicit in diem craſtinum equeſtres ludos, & pedeſtres coram Rege Edeſſæ, Principe Heleno, Reginâ, & primariis fœminis. Decreſcente die Præfecti ad cœnam apud Regem inuitati excipiuntur honorificè à Rege & aulicis regiis. Rex ad ſacellum, &

Chriſti

iſti effigiem abducit Placidum, & cum eo 'ta deliberat. Interea Princeps Helenus to- Craſſi victi hiſtoriam in aulais depictam ndit; diſplicet hæc hiſtoria Regi, & nouam uperatis Parthis hiſtoriam promittit, accum- ır ad menſam, deſcribitur conuiuium, infer- ſermo de venatione, poſt ſecunda fercula ro- ıs Placidus expugnationem Babylonis narrat: tertia fercula laudantur nuptiæ Heleni, pro- ſponſa ſub veſte Amazonis, & cum eâ nobi- ɒuella; exhibetur ſaltatio Pyrricha, & nume- ı; ſub diſceſſum Placidus Regem, & aulam ıam ad ludos equeſtres inuitat.

LIBER SECVNDVS.

SVPPOSITVM interea Titan vergebat ad axem,
Lunaque nigranti cælum obuoluebat amictu,
noctem Placidus caſtrenſem ingreſſus in ædem,
ınumque ducis conclaue, & ſerica tecta,
:umbens humili Numen ſic voce precatur.
Iagne Deus, qui fata hominum, ſorteſque gubernas,
ortes, & fata facis; te Numen adoro,
ıue vnum, & trinum, quem non intelligo, credo.
) ſi homines verum Numen non numina vana,
enteſque Deos colerent! O ſi orbis vterque
horem te Chriſte ſuum, emptoremque ſalutis,
retium ſciret; coleret te mundus vterque,
:rux, quos meruit, ſacros retineret honores!

O mihi

O mihi ſi detur pendêre ex arbore ſacrâ,
Quæ meruit tolerare Deum, guttaſque cruoris
Excepit, pretium culpis æquale piandis,
Placauitque Deum! Salue crux optima rerum,
Te veneror, tua ſigna ſequor, peregrinus, & exul
Per probra quæſiui quondam, nunc quæro per arma,
Et parient fortè arma crucem. Singultiit Heros
Ad nomen crucis, & ſingultus cætera dixit.
Et votum, & lachrymæ Placidi placuere Tonanti,
Nec mora, conſeſſum ſuperûm ſuper aſtra coëgit,
Præfuit Omnipotens, homini data dextera Verbo eſt.
Adſtitit Alma Parens, & ſedit proxima Nato:
Conuênit turba Aligerûm, menteſque beatæ,
Quoſque olim coluit Placidus, meruitque Patronos;
Adfuit & cuſtos Placidi, & Præfectus Ariſtus,
Qui Placidi vitam, & mores exponere iuſſus.
O Pater, ô Verbum Patris, humanæque ſalutis
Emptor, ait, Placido tandem quæ meta laborum
Fixa manet? cui fata illum decretâ reſeruant
Æterna? aduerſis rebus ſatis eſſe videtur
Explorata fides hominis, virtuſque probata.
Ex quo venantem in ſyluis ad ſigna vocaſti
Militiæ monſtrata tuæ, nulla hora laboris,
Nulla expers crucis hora fuit; ſol annua curſus
Tempora bis decies mutauit, luna receſſus
Acceſſuſque ſuos, ſtellæ, erranteſque planetæ
Mutauere vices; Placidi ſors aſpera creuit,
Et duræ creuere cruces, ex diuite pauper,
Ex Domino famulus, Natiſque, & Coniuge charâ
Orbatus, vitam pauper traducit agreſtem;
Ex duce caſtrorum, plantarum, olerumque colonus;
Et nunc obſcuro nolens auulſus ab horto
Præficitur bello, metuenſque offendere Numen
Inter militiæ diſcrimina lubrica viuit,
Et nolens timet eſſe nocens, nec inane periclum eſt.
Sat duris tentata malis heroica virtus,

Si

placet, empyreâ virtus eſt digna coronâ,
Orantem Genius Theopiſtæ adjuuit Ariſtum,
Placidi Conjux, inquit, virtute virili
quauit, vicitque virum, per mille pericla
ruauit ſponſo iuratum intacta pudorem,
Virgo Matrona fuit, nunc nobilis vxor
ercet tenuis fortunæ ignobile penſum,
ıcillamque gerit, gaudetque ignota latêre,
gna eſt ex humili Theopiſta emergere ſorte.
Et nos natorum Placidi miſeratio tangit,
ıſtodes genij ſubdunt, vtroque parente
a dies orbos vidit, miſerabile dictu,
ts eadem ſponſo vxorem, ſponſæque maritum,
patri eripuit natos, natiſque parentem,
antes, & adhuc materni lactis egentes
cepêre nouæ matres, hunc ſæua leæna,
nc lupa ſuſcepit, pueriſque pia vtraque nutrix,
mater pro matre fuit, nutricibus illis
ptos, geminus paſtor ſuſcepit alendos,
pleuitque diu Patrem, ruriſque Colonus
tores ouium fecit, pecorumque magiſtros,
xini deinceps deducti ad littora Ponti
er damnatos ad ſaxa, & marmora fabros
e miniſterium, & duros ſubiere labores,
ſacram didicere fidem Clemente magiſtro,
ıunc inuiti iuuenes ad bella cientur,
peccare timent, & nos peccata timemus,
uuenes annos, & pronam ad crimina vitam.
tuta eſt inter belli diſcrimina virtus,
armis licet eſſe piis. Pater optimè patrum
ıde patri natos, & natis redde parentem,
miſeræ matris lachrymis ſua viſcera redde.
Tum Pater æternus fatur; Chariſſime fili
ıe alter, mecumque idem, tu nate ſalutem
mani generis pretioſæ ſanguine vitæ
iſti carnem aſſumens, vt debitor eſſes,

Et Deus vt poſſes æquali ſoluere ſorte
Æqualis perſona Patri; tu fata gubernas
Humani generis, Placiduſque, & pignora, materque
Arbitrij ſunt iura tui.
 Magne parens, ex quo crucis inter brachia vitam
Deuoui, crux eſt votum, & donatur amicis,
Hanc ego legaui Placido, natiſque duobus
Et matri, vireſque dabo, roburque ferendi,
Et partem tolerabo oneris; quæ gloria maior!
Quàm mecum tolerare crucem, & pugnare ſecundum,
Et Domini ſocium eſſe ſui; nec meta laborum
Hæc erit; elegi Placidum ad maiora ferenda,
Oſtendique crucem medij inter cornua Cerui,
Et me pendentem: vidit, fleuitque videndo,
Et lachrymans votum crucis irreuocabile vovit.
Nunc gerit armatus bellum, & pro Cæſare vincit,
Mox geret aſperiora meo pro nomine bella,
Vanis Roma Diis adolendos thuris odores
Proponet, pœnaſque ignis ſi thura recuſet:
Ille inter ſæui flammantia viſcera tauri
Incluſas intus flammas ridebit, & ignes,
Et taurus Matri, & Natis illuſtre ſepulchrum,
Et Placido fiet bos nobile mauſolæum.
 At fili, adjecit mater, tu condere leges,
Et leges mutare potes, tu fata gubernas,
Et vitæ, mortiſque vices, ego diligo Patrem,
Et Mater, Natique placent, tu dilige fili,
Quos natos ego mater amo; Tu Spiritus alme
Imber es, & zephirus, tu flammas mollibus auris
Tempera, & infuſo ſuffoca incendia rore.
Donum ego, tu clauis donorum, Spiritus inquit,
Tu claudis, cœlumque aperis, Tu diuide dona,
Et Placido, Natiſque animos, Matrique miniſtra.
 Audiit hæc Satanas, zeloque accenſus amaro,
Aſt ego, ait, Placidum affligam, cogamque inimicam
Ejurare crucem, quæ me, & mea regna ſubegit;
Opponam

ponam cœlo terras, erebumque Tonanti,
imilis, vel maior ero. Fuge Lucifer, inquit
:iſtus, & impacta cruce dirum perculit hoſtem.
velut excuſſus ruptæ de vulnere nubis
nineus lapis erumpit, curritque, ruitque,
:ircumfuſas grandi impete diſſipat auras,
:ræque impactus rumpit penetralia terræ,
quem ſuffodit præceps occludit hiatum;
Satanas præceps impacto verbere fugit.
At vos ô Genij humanæ tutela ſalutis,
:iſtus ait, Matrem & Natos,Placidumque Parentem
iate; & duris olim diſponite luctis,
iati nunc dura gerunt pro Cæſare bella,
;nabunt olim diri inter viſcera tauri,
nnati flammis, victique incendia vincent,
ix victrix, ego victor ero.
Nox erat, & medio Luna exerrabat olympo.
umeræ circum ſtellæ, flammæque minores,
ioreſque faces innatâ luce micabant;
;ebat flammas Luna, & certamine pulchro
ldebant ſtellæ radios, quos Luna vibrabat.
c inter Placidus poſt vota aſſueta, preceſque
inante caput ſomno, corpuſque grauante,
arum plenus feſſis dabat otia membris.
.cce tibi variæ ſopitâ in mente figuræ
'eſtem ſuperûm conſeſſum, arcanaque fata
cribunt, Placiduſque oculis ſpectacula clauſis
videt, aut credit varias ſpectare figuras.
Hæc animo Placidi ſimulacra impreſſit Ariſtus;
'reſſas dicunt ſpecies, quæ corpora monſtrant,
emque & Solis radios, vmbraſque, coloreſque,
ertes ipſæ lucis, vacuæque coloris.
ctatur quod imago offert, nec imago videtur,
.e carent, turreſque altas, campoſque patentes,
Solem, & ſtellas, & cælum, elementaque vaſta,
a oculos, animumque locant, nec mole fatigant.

Per flammas, vndaſque meant, nec ab igne cremantur,
Nec merguntur aquis, ludunt per inane volantes,
Et pennis, aliſque carent, nec turbidus auſter,
Nec boreas tenues depellit ab aëre formas,
Succedunt aliis aliæ, ſedeſque relictas,
Et vacuas ſimilis forma, & nouus occupat hoſpes.
His Placidi mentem formis impleuit Ariſtus,
Hæc ſpecies Placido oſtendit cæleſte tribunal,
Hæc Patrem æternum ſublimi in ſede locatum,
Majeſtate ſenem, vultuque ac fronte verendum;
Hæc Hominem, Verbumque Deũ pulchro ore decorũ.
Apparet rubeus per hiantia vulnera ſanguis,
Et ſacro latus imbre pluit, crux aurea ſceptrum eſt,
Splendenti vepres frontem diademate cingunt,
Et ſpinæ, & radij pulchrum vertuntur in aurum.
Hæc ſpecies inter Patrem, Natumque Columbam
Exhibet, extendentem alas, & penè volantem.
Ad dextram nati ſpecioſa apparet imago
Virginis, & Matris; ſubridet imago videnti.
Aligeri circum iuuenes ad iuſſa parati
Imperium, nutumque Dei expectare videntur,
Et tremulis vacuum volitare per aëra pennis.
At ſpecies aliæ Martis ſimulachra, Iouiſque,
Erectaſque aras monſtrant, & thura parata.
Penè odor exhalat, flammæque apparet imago:
Vrgetur Placidus monitis, precibuſque, miniſque
Thus falſis adolere Diis, ſi iuſſa recuſet,
Æneus, & ſpirans ignes oſtenditur ingens
Taurus, & incluſas patulo vomitore fauillas.
Inſeritur tauro Placidus, flamma æſtuat intus,
Vritur incluſus, natique, vxorque cremantur,
Et Placidus flammas videt, & ſentire videtur.
Nec procul apparet ſatanæ deformis imago,
Intentatque minas, vngueſque exertat aduncos,
Et toto furit ore ferox; at verbere Chriſtus
Impactæ crucis horrenti detrudit auerno;
Et

ſus, tremere, & labi, & cecidiſſe videtur.
:em ſpectat Placidus, ridetque cadentem.
idet hæc tantum Placidus ſpectacula rerum,
:itas audit voces, mutaſque loquelas,
;enij de ſorte ſuâ, de ſorte ſuorum ,
Pater æternus, Verbumque, & Spiritus almus,
Mater Virgo, quid ſæui dæmonis ira
t, & lapſos annos, annoſque futuros ,
taſque cruces audit, venturaque fata.
lacidus ſimulacra videt, ſentitque videndo.
ut aërij ſpatioſa per æquora cæli
rias rerum formas, variaſque figuras
uâ pingit, ſceptrum, diadema, coronam,
ios hominum vultus, vultuſque ferarum,
am, & ſtellas, pulchrique parelia ſolis,
or eſt, pictorque ſui ; ſic pictor Ariſtus
ınimum Placidi variarum emblemata rerum
, & occluſis ſpectanda oſtendit ocellis ,
ſoque oculis ſomno ſpectacula ſoluit.
n vero euigilans Placidus compellat Ariſtum,
ıe per ſomni nebulas, auditaque narrat,
erit quid ſigna velint. Sæpe, inquit Ariſtus,
a ſunt vmbræ, & vacuæ deliria mentis,
tiam ſomnus quiddam cœleſte reuelat
lente Deo ſpecies, fingenteque formas.
s hic ſomnus quædam ventura reuelat,
ı Thadæus nuper myſteria dixit.
igitur, duroſque animo præſume labores,
ignum eſt, fatumque tuum. Celauit Ariſtus
rem ſomni, Placidumque ad magna parauit.
a, inquit Placidus, narras, nec me aſpera fata,
errent decreta poli : nec ſomnia curo ,
humanæ tantum deliria mentis.
ıs has ſomni ſpecies infudit, adoro.
: Deus, quæ nos ignari fata vocamus,
ij ſunt iuſſa tui, decerne quod optas,

Et famulo da iuſſa ſequi. te Trina poteſtas,
Non triplex, vos vnius tria nomina vocis,
Vos ſoles, vos vnius tria lumina ſolis;
Vos flores, vos vnius tria germina floris;
Vos fluuij, vos vnius tria flumina fontis:
Vos tres Perſonæ, quas non intelligo, credo;
O Pater! ô Verbum! ô ſpirati flamen Amoris!
O Verbum aſſumens hominem, ſceptroque ſub vno
Bis regem faciens! ô Crux ſacra teſſera regni!
O thronus! ô Chriſti Regis regale tribunal!
O crux humanæ meritum, pretiumque ſalutis!
Crux oſtenſa mihi medij intra cornua Cerui!
Crux iterum nocturni inter myſteria ſomni
Viſa mihi! te Crux per bella, per arma, per ignes,
Per vitam, mortemque ſequor; nec taurus anhelans,
Incluſique ignes media inter viſcera terrent,
Pro mundo tam multa tuli, pro Cæſare multa;
Crux mihi Cæſaribus maior; ſi pignora Chriſte,
Si ſociam vxorem reddis; mea pignora nolo,
Nolo thori ſociam, ſi non mea pignora mecum,
Et mecum velit illa crucem; tu ſuggere vires,
Tu præſta, quod Chriſte jubes, tu Virgo, Parenſque
Tu nati merita, & diuini munera ſponſi
Diuidis, & magnæ Triadis decreta miniſtras.
Tu Placidum, & Natos, Matremque tuêre clientem,
Et tutrix, materque eſto: Vos nobilis aulæ
Empyreæ famuli, Patris, Verbique Miniſtri,
Cuſtodéſque hominum, Placidum ſeruate parentem,
Ne peccet peccare timens: Dum bella prophana
Pro Romæ Imperio gerit, & pro Cæſare pugnat.
Vos Satanam cœlo pulſum detrudite auerno,
Ne noceat, miſeramque lupis defendite prædam,
Quam Chriſtus Satanæ eripuit; magnoque redemptos
Paſtori ſeruate agnos. Poſt cætera vota
Soli audita Deo, votis, & numine plenus
Caſtrenſem campum, & tentoria bellica luſtrat,

majeſtate aſpectus, magnaque palæſtra
roem ſpirans animos ſpectantibus addit,
loquitur nutu, mileſque ſilentia ſentit:
m belli proceres extra tentoria ductos
oquitur, Parthique minas, iraſque feroces
plicat, irriſaſque minas, iraſque repreſſas,
bellum bello indictum, Romanaque verba,
thum olim bello domitum, belloque domandum,
›x experturum quid poſſit Cæſaris ira,
vindex Roma: his dictis excedere iuſſus
rritus orator fugit; macti ergo ſodales,
, & luſtratis promittite præmia caſtris
aſtina, poſt fictæ prælaudia martia pugnæ,
:x mecum ſpectator erit; vos regia cœna
pectat vergente die, Regnator Edeſſæ
›s vocat., imperium eſt magnus quod poſcit amicus,
mandat quodcumque rogat: nec ſegnius illi
ıſtra obeunt, turmaſque equitum, peditumq; cateruas
:plorant, ludoſque & munera craſtina ſpondent.
ectante Edeſsâ pugnas, miranteque Rege
dentem Romam, & victi prælaudia Parthi.
acti igitur, nemo veſtrum illaudatus abibit,
Iudex Rex laudis erit; Reſpondit ovando
les, & abſentem victor iam prouocat hoſtem.
Devexo interea Sol deſcendebat olympo,
:cliuemque diem obuerſos ducebat ad Indos,
Placidus magnam comitatus adibat Edeſſam.
Ad primos aditus occurrit regia turba,
:ntilique modo dicit, recipitque ſalutem;
:x Placidum, & ſocios regalem ducit ad aulam,
Regem oblitus ſocios appellat, amicoſque,
: ſe Romanum ciuem: procul eſto ſuperba
ajeſtas, procul, inquit, honos, amor æquat amantes,
: ſocios vult eſſe pares; Helenumque vocatum
lmonet his coram verbis: tu nate parentis
fficium ſupple, Romæque aſſueſce colendæ,

Heroes ſpectas, & tu olim regius heros
Romanuſque eſto, dum mutua dantur vtrimque
Oſcula, & alternis firmantur fœdera pactis,
Subductum Abagarus Placidum ad regale ſacellum
Inuitat, pronique preces, & regia vota
Concipiunt, præſens audire videtur imago,
Et toto patet ore Deus; veneratur vterque
Quod videt, & præſens ſub imagine Numen adorat.
Aſpicit orantes Chriſtus, reuerentia Regum,
Et ſupplex diadema placet; quid vterque rogarit,
Quos animi ſenſus ſacra inſpirarit imago,
Hic narrare poteſt qui muta ſilentia linguæ
Et voces ſine voce audit, tacitaſque loquelas.
Interea Princeps Helenus de Cæſare multa,
De Roma, Europaque rogat: multa ipſe rogatur;
Quæ dominæ gentes intra duo flumina regnent,
Quæ regio victi ſeruet veſtigia Craſſi,
Et cineres, atque oſſa tegat: ne funera Princeps
Enarrare time, nec victi opprobria Craſſi,
Delebunt hæc arma breui, Parthuſque ſuperbus
Romanos cineres vndanti ſanguine ſparget,
Et cinis & puluis gladio ſub vindice fiet.
Dicam igitur Princeps inquit, pictura loquetur,
Et docti textoris acus, ſupplebo colores,
Et quæ narrabat nobis annoſus Arontes
Adjiciam, interpres, fidique auditor Arontis,
Pars ipſe infauſtæ pugnæ, cladique ſuperſtes.
Se quoque monſtrabat molli ſub ceſpite tectum
Fingentem mortem, fictoque ex vulnere ſaluum.
Pendebant amplam Babylonia texta per aulam
Subtili contexta manu, pugnare putares
Artem, & naturam; hæc vincit, nec vincitur illa;
Impoſitæ aulæis vrbes extare videntur,
Elatas ſurſum credas aſſurgere pinnas
Murorum, ſuperant muros excelſa domorum,
Excedunt turres, culmenque per aëra tollunt:
Immenſos

aenſos latè videas excurrere campos,
broſæ apparent valles, ſyluæque nigrantes,
calui oſtendunt annoſa cacumina montes;
rarum extenſos tractus duo flumina claudunt,
ctatur curſus, murmurque auditur aquarum,
urgunt fluctus, ſpumantque minacibus vndis.
nedij apparent ſpatioſa per æquora campi,
nantque armati cunei, aut pugnare videntur;
te vna Romana acies medio orbe rotunda,
pectat geminis claudendum cornibus hoſtem,
currunt alati equites, aciemque tuentur:
te alia effuſus Parthus nullo ordine pugnat,
nc propè, nunc longè apparet, iactiſque ſagittis
m fugit, & refugit; iactis per inania telis,
inus occurrit velox, veloxque recurrit.
mque fugit, refugitque, actæ per inane ſagittæ
rios opplent tractus, reflexaque tela
figunt ſubjectam aciem, nec aheneus vmbo,
c galeæ capiti impoſitæ, clypeique reſiſtunt,
cellit clypeos telum, & thoracas ahenos,
greſſumque ſubit coſtas, atque ilia figit.
Qualis nimboſo deuoluitur aëre grando,
eniaque & turres altas,& tecta domorum
rberat increpitans, clauſaſque in fruſta feneſtras
ſecat, & ſolidis infligit vulnera muris:
que eadem campis infuſa patentibus herbas
terit, & ſegetes, viteſque, vlmoſque maritas,
uarumque comas, ramoſque & brachia rumpit,
u! miſeri fugiunt per inania rura Coloni,
niſi ſub rupe, & ſaxis pendentibus abdant
nenta, & paſtor, pecudeſque, & ouile peribit.
Haud aliter reflexa ruunt ex aëre tela,
manamque aciem lethali vulnere figunt.
Ineribus denſata acies, hærenſque vito vir,
numerus nocet, & nullum ſine vulnere telum eſt,
plures plaga vna necat: ne copia deſit

Telorum, peditum turmas onerata ſequuntur
Terga Camelorum, & portant ad prælia ſyluas.
At quænam hæc generoſa cohors, Sulpitius inquit?
Quis puer hic Marti ſimilis, qui prouocat hoſtem,
Apparent iræ, & toto furor emicat ore;
Publius eſt, Helenes inquit, Craſſi vnica proles,
Et magnæ ſpes vna domus. At nobilis hæres
Quò properas? & quò rapiunt te triſtia fata?
Siſte gradum, Parthumque ſequi deſiſte fugacem,
Arte fugam ſimulat, teque in loca deuia ductum
Opprimet, & refugis fies victoria Parthis,
Et lachrymæ patri. Sequitur tamen, imminet, vrget,
Obuia quæque metens, & ſaluus ab hoſte redire,
Et victor poterat, ſi virtus cedere ſciret.
Dicam quæ fidus nuper narrabat Arontes.
Ventum erat ad raucæ fallentia ſtagna paludis,
Limoſumque lacum, nec longius ire licebat,
Nec facilis regreſſus erat, nec ſiſtere tutum,
Siſtendum tamen, & pugnandum, Publius inquit,
O ſocij! acclamant omnes, pugnamque capeſſunt:
Se quoque cum ſociis pugnaſſe, aiebat Arontes:
At reduces Parthorum alæ, peditumque cateruæ
Romanam includunt turmam, numeroque fatigant;
Incluſi iuuenes rupêre repagula ſæpè,
Sæpè repercuſſi numero, & retroire coacti,
Victi & victores æquo certamine Martis
Pugnauere diu, nutauitque alea belli.
Ac velut incluſus caueâ, ferroque reuinctus
Rex Leo, perrumpens obices, & clauſtra reuellens,
Rodenſque, & ferrum mandens, & vincula ſoluens
Exilit, & ſaltu ſuperaret clauſtra ſuperbo,
Glans niſi lethalis, rictuque excepta patenti,
Et vitam, & ſæuas Regis corrumperet iras.
Haud aliter Romana cohors incluſa locorum
Inſidiis, medios generoſa irrumpit in hoſtes,
Et gladium dextrâ vibrans, clypeumque ſiniſtrâ
Obtrudens,

bſtrudens, equites, & equos, grandeſque elephantos
ranſadigit gladiis; elephas læſuſque, furenſque
buia proculcat quæque, & proboſcide longâ
ripiens prædam ſublimes iactat in auras,
ec parcit Dominis, Dominum furor, iraque neſcit;
Publius Heroi ſimilis ferroque, manuque
buia proſternit cuncta; audaceſque ſodales
r mediam Parthorum aciem, per tela, per enſes
edentes, læſique ibant, mixtoque cruore
oſtili & proprio gemino de rore madebant.
Quid faciant pauci iuuenes contra omnia fata?
epluit in miſeros reflexis æthra ſagittis,
npactis Parthus tranſuerberat ilia contis,
t ſæpè oblongo figit duo corpora telo:
eficiunt tandem, & ſæuo mactantur ab hoſte,
t iuueni ceruix præſcinditur aurea Craſſo.
Agnoſco Gentile caput, Sulpitius inquit,
endet in æde meâ Cognati inſignis imago;
t quàm diſſimilis vultus, fortunaque diſpar!
Heu! pergit Princeps, erectâ pendet ab haſtâ
omanum caput, & pretioſo ſanguine rorat?
gnoſcit Craſſus Pater, iraſcique videtur,
flere, & pictis lachrymis aulæa madeſcunt.
Turbatur Romana acies, & ſurgit ad arma,
ignatur, litui clangunt, it clamor ad auras,
penè auditur, tela vndique, & vndique tela,
pparent plagæ, ſanguiſque aulæa colorat:
edentes, cæſique cadunt, caſuſque videtur:
ciſſet Romana acies, niſi fraude fugaci
taret gladios Parthus, fugienſque ſagittas
ojiceret, volitat tenues directa per auras
elorum ſeges, & recidens mucrone reflexo
nprouiſum hoſtem lethali ſauciat ictu:
ic Parthi dolus, & Romanæ cauſa ruinæ.
At quales illæ tenebræ, nocturnaque vela?
igenteſque hominum vultus, quænam illa per vmbras

Turma equitum fugiens ? hicne eſt Octauius ille
Caſſius ? ille, Helenes inquit, trans fluminis oras
Zeugma petunt ſociam Romani nominis vrbem,
Collectaſque equitum turmas, magnæque ruinæ
Relliquias rapiunt, ne clade exercitus vnâ
Intereat, teſteſque habeat miſerabile fatum,
Vltoreſque olim promittat Roma nepotes.
Et nos ô Princeps Craſſi de ſanguine creti
Vltores erimus cladis, Parthique cruore,
Et Craſſi tumulum, & cineres ſpargemus Avorum.
At quænam hæc fugitiua cohors, exutaque caſtris,
Attonitis ſimiles, & mœſtis vultibus omnes
Arma trahunt, fractoſque enſes, inuerſaque tela,
Et victi vincuntur adhuc ? quis triſtior ille
Suſpirans, altoque premens ſub corde dolorem ?
Obuoluenſque caput, ne cerni, aut cernere poſſit ?
Quænam hæc vrbs portis miſeros admittit apertis ?
Craſſus hic eſt, Helenes inquit, turma illa ſuperſtes
Fortunam Craſſi ſequitur, miſerandaque fata.
Hæc vrbs Romanis antiquo fœdere amica,
Romanis etiam victis ſua fœdera ſeruat,
Illuſtres Carræ titulis, & origine gentis.
Sed quænam hæc mediis inhumata cadauera campis?
Seminceceſque artus? quænam hæc ſuſpiria, voceſque ?
Et pictæ lachrymæ per ſerica texta fluentes ?
Penè ſonos textor, lamentaque triſtia pinxit ?
Hæ ſunt infandæ cladis, bellique cruenti
Triſtes relliquiæ, miſeri ſua fata queruntur,
Dum neque mors, nec vita licet : ſed barbarus hoſtis
Imminet ecce minax, & vulnera vulnerat enſe,
Mortuaque, & nondum morientia membra trucidat,
Et vitam, mortemque necat. Perge inclyte Princeps
Balbus ait, quamuis hæc ſint miſeranda relatu,
Poſtremos miſeri caſus ediſſere Craſſi.
Quinam illi per rura vagi ſyrteſque, paludeſque,
Et loca vix habitata feris ? quis præuius ille

Nec

ıltus, geſtuſque placet, nec vana Palæſtra ?
ım, inquit Princeps, & qualem pinxit Arontes
ɔam, venalis homo eſt, perjurus, iniquus,
lus Andromaches, hic Craſſo ad Zeugmatis vrbẽ
m iurarat iter, ſed fraude pelaſgâ
;na, & ſyrtes, & arenas ſolibus vſtas,
um pacto venalem prodidit auro.
ıe vbi ſol vmbras noctis detexit & artes,
:s ad Parthum greſſu veloce cucurrit,
ſque inſidias narrat, Craſſumque teneri
as inter ſyrtes, vdamque paludem,
r adueniat de craſſi funere iurat.
rea Craſſus detecto errore viarum
.ns hominumque fidem, curaſque Deorum,
amque ſuam, dubitat, timet, anxius hæret,
ıs quò tendat iter: tandem horrida ſylua,
ıs impendens ſyluæ minus obuius hoſti
ur, huc dubitans properat quò nemo præiuit,
erit quod neſcit iter; fortè inuia caſtra
t aduerſi circum decliuia montis
em fugiens de nocte Octauius hoſtem:
ıſſum agnouit: Collectas vndique turmas
ıgamus ait, locus, hic ſecurus ab hoſte eſt:
ırus erat, ſi Craſſo fata faverent,
raſſus ſibi fatum eſſet; dum ſe agmina miſcent
ibi Parthus ſyrtes, & ſtagna pererrans,
umque vmbras: qualis venator anhelans
mora, & montes, & teſqua per inuia feſſum
itur ceruum, & preſſæ veſtigia plantæ
ıat, ſparſumque bibens explorat odorem
agax, crudamque inhians iam deuorat eſcam.
ıliter Craſſum Parthus ſequiturque, premitque.
ıique vicinus monti, taciturſque ſubaudit
ıas voces, & conſultantia verba,
enſim accedens, nutu, geſtuque loquaci
um offert, ſacramque fidem per numina iurat

Si

Si Craſſus terris velox excedat eois.
Quid poſſint, inquit. Parthi, Bellona probauit,
Quàm ſint clementes præſens fortuna docebit.
Credulus audiuit Craſſus fallentia verba,
Iuratoſque Deos, ibat quò fata trahebant,
Qualis bos iuuenis ſacras mactandus ad aras
Fallentem ſequitur lanium, fœnumque prehendit
Oblatum, manditque eſcam, mox eſca futurus,
At ſaltem ſuperis taurus fit victima diuis,
Et coniurato Craſſus fit victima Partho.
Horreſco ad triſtes caſus, & cætera fari
Mens refugit, vix ipſe auſus depingere textor,
Expreſſit lachrymas, & fletu cætera dixit.
Iamque equus offertur phaleris, auroque ſuperbus,
Scandit equum infelix ſine ſeruo, & ſuppede ferro,
Iamque ibat Romam implorans, & numina Romæ:
Mox auulſus equo per vim pedes ire iubetur:
It pedes, & famulis Craſſus fit fabula lixis:
Impatiens iræ, probrique Octauius enſem
Exerit, & centum moritur mucronibus ictus:
Tum dextram attollens, Surenas percute miles,
Imperat, & dicto citius præſcinditur enſe
Romanum caput, & magnæ ſpes tertia Romæ.
Hæc ſors, & magni fatum miſerabile Craſſi.
Hæc dũ Helenus Princeps narrat Rex lætus in aulam
Cum Placido redit; & tu, inquit, cariſſime fili,
Quænam Romanis oculis ſpectacula monſtras?
Hæc Parthus victor patruo donaria miſit;
Sæpe ego deuoui flammis, & flamma cremabit:
Fortunam doleo, victique opprobria Craſſi,
Trajani laus ſola placet, Romæque triumphi,
Subſtituam victos Perſas, Parthoſque ſuperbos,
Pingentur captæque vrbes, vrbeſque receptæ,
Et Zeugma, & Carræ, victique Arbella Darij,
Et domiti teſtis Parthi, Theſiphonque ſubacta,
Et centum portæ flammis vltricibus vſtæ.

Pingetur

etur ſtrages hominum, ſtrageſque ferarum,
iixtique equites,& equi, cæſique elephanti,
ıbit ſanguis, taboque aulæa rubeſcent.
ıetur Placidus criſtato vertice clarus
ɔedites equiteſque volans, & vbique triumphans ;
os heroes pingent illuſtria texta
ıantes, Meduſque hoſtis, Parthuſque iacebunt
pedibus, mixtaſque voment cum ſanguine vitas,
adiutor ero, pingent aulæa iuuantem,
ıea victrici Romæ adiungetur Edeſſa.
ıt verbis, oculiſque datum eſt, nos euocat ad ſe
a Ceres, lætuſque inuitat ad arma Lyæus:
ɔ alacres famuli diſponite fercula menſis,
pueri manibus roſeas affundite lymphas,
primos properate cibos, ſedeamus amici
oum more, & ſupremo corpore recti,
acus ſtrato populus diſcumbit in oſtro,
:ndare placet ritum, ſtanteſque ſedere,
virtus, nec amat prona & reſupina iacere,
ıperi ſtarent inter conuiuia recti,
ɔnuiuæ eſſent ; & Roma ſtat æmula diuûm.
'u Placide armorum princeps rege prælia menſæ,
dextram heroës, & vos admittite læuam,
inter medios vobis conuiua ſedebo,
: alibi, hic ſocius ; ſed tu nullo ordine fili
oës inter ſedem cape ; iamque parati
tantur læto ore cibi,elixæque volucres,
ıs tellus, quaſque æther alit ; mixtæque placentis
iciæ, & quidquid lautæ doctrina culinæ,
ɔriſque manus regali præparat aulæ.
Ieus pueri pateris generoſum affundite vinum,
: ait, ipſe prior pleno cratere ſaluto
janum, & longæ precor interualla coronæ :
janum ingeminant omnes clamore ſecundo,
ota reſonat Trajani nomen in aula.
ſas inter voces, & primæ gaudia menſæ

Mutantur

Mutantur veteres epulæ, & noua ſcœna locatur,
Aſſatus ſuccedit aper, rictuque minatur,
Apparent iræ, & poſt flammas penè timetur:
Et volucrum turmæ, & toſti membra integra Cerui:
Admirans Placidus, quinam hic exercitus inquit
Quadrupedum & volucrum, caſtris ſatis eſſet alendis?
Subridens Pater, hæc Heleni eſt venatica pugna;
Et pulchrum eſt, Helenus ſubdit, venatio bellum.
Hic aper offenſus telo, ſpumanſque, furenſque
Currentem lacerabat equum, niſi ſpiculum hianti
Infixiſſem ori; telum tamen ille remordens,
Et reuomens, mortemque intra præcordia torquens,
Vix tandem potuit lethali occumbere telo.
Hic quoque ſuffixus iactæ mucrone ſagittæ
Ceruus anhelanti ſimilis, currenſque, volanſque,
Cornuaque inclinans, pectus ventremque fugacis
Suffigebat equi, niſi frontem, oculoſque minaces
Confixiſſem haſta: gemino tunc vulnere læſus,
Et circum titubans, exhauſtus ſanguine tandem
Concidit, apparet media inter cornua vulnus,
Et lateris nondum flammis obducta cicatrix.
Guſtemus pugnas Heleni, & ſylueſtria bella
Rex ait, hæc facilis pugna eſt, nec inutile bellum,
Tu prædas partire tuas; ego pyramidem iſtam
Alituum, & pulchram perdicum diuido turmam.
Hæc quoque præda tua eſt, ſed non heroïca pugna,
Victoris laudem minuit non æmulus hoſtis,
Nec decus eſt præſtare fugâ, pedibuſque valere:
Fortè tamen, ſubdit Princeps, volitare ſine alis
Sublimem, & volucres celeri præuertere curſu,
Et captare manu prædas ex aëre raptas
Laus aliqua eſt; at ego vanum non venor honorem;
Sat famæ eſt, ſi præda placet, partem offero Regi,
Et Placido partem Cerui, pars cætera veſtra eſt.
Oblatam Placidus partem ſemel applicat ori;
Abſtinet illachrymans, tactæque dat oſcula plagæ.
Mirantur

:antur lachrymas ſocij, cauſamque requirunt,
:auſam Placidus tacet, illam nouit Ariſtus
ſeruans Placidum, & ſociis ignotus Ephœbis.
ıdmirans Helenus grandem Apri porrigit armum,
c, ait, Heroes placeat ſatis ardua pugna,
ſitan hæc fient victi præludia Parthi,
nagnas vrbes olim venatio cepit,
:pus, & vulpes Babylonem aſtuta fefellit.
Jos aliâ magnam Babylonem cepimus arte,
ɔus ait, Placido debetur gloria belli.
ic Placide hanc artem, pugnamque ex ordine pande
: ait, ante tamen Carrenſe affundite vinum,
janumque iterum, & Placidum, ſocioſque bibamus;
.t nos, acclamat Placidus, Regique, Helenoque
emus juuenes annos, longamque ſalutem.
Jarro, inquit Placidus, vix enarrabile bellum,
ebat Romam Babylon, & voce ſuperba,
ıc ſe vincendam aiebat, cum ſydera cæli
a gerent, timidæque aſſument arma volucres;
ıatæ venere aquilæ, & vicêre ſuperbam,
; aquilæ fuimus, Babylon fuit obuia præda.
luuiorum Rex Euphrates magnam alluit vrbem,
:eſſuro vrbem fluuio pons marmore ſtratus
:urrens frangit fluctus, vndaſque repellens,
:taſque trahens plures deriuat in arcus,
ımque in plures vrbes ſubdiuidit vrbem.
; procul à muris latum ſuffodimus alueum
ualem primo, ripaſque virentibus herbis
ximus, & thalamum primo conjunximus alvêô,
eptiſque vndis fluuij meliore cubili,
.nſtulimus curſum fluuij, & ſubduximus vrbi.
ıleuit menſem labor, adjuvere laborem
icolæ, juvit Miles, juvere Tribuni,
ıos foſſores fuimus, terræque coloni.
'eſta dies aderat patrio votiua Baali,
ıruſque, & ſacras aries mactatus ad aras
Ciuibus,

Ciuibus, & dominis dederat conuiuia Parthis.
Cœnarat Deus ipſe Baal, Myſtæque Baalis
Ante aras proni, vinum pleno ore vomebant.
Nox erat, & populus, ſomno vinoque ſepultus,
Mileſque & vigiles vacua ſtatione iacebant,
Nos mediam cæcæ noctis captauimus horam,
Dumque nouum Euphrates vndas deriuat in alueum,
Nos vacui foſſas fluuij ſub fornice grandi,
Intramus taciti, mediamque ſubimus in vrbem:
Intrantes nemo vidit, nemo auribus hauſit,
Nec mora tergeminas armati inuadimus arces,
Pars vacuas vrbis portas, pars publica templa,
Pars ædes per tecta ſubit, fractaſque feneſtras;
Hanc vrbis partem Lepidus, Sulpicius illam
Occupat, hanc Balbus, vacuos pars cætera muros,
Ipſe vrbem mediam valida legione tenebam,
Bis ternæ armabant vrbis fora publica turmæ,
Ternæ obſeruabant vicos, flexuſque viarum,
Intra vrbem Roma hoſtis erat, ciueſque latebat.
Quid factum victis fuerit, furor, iraque neſcit:
Hic ſomno oppreſſus periit, nec vulnera ſenſit;
Hic vino madidus mortem non vidit, & hauſit;
Denique nocte vna Babylon magnæ æmula Romæ,
Nec Babylon, nec Roma fuit, captiuaque ſeruit
Cui regna, & mundus quondam ſeruiuit Eous.
Euigilans vrbem ciuis quærebat in vrbe,
Miratuſque ſinum diuiſi Euphratis inanem,
Aut fugiſſe procul fluuium, aut periiſſe gemebat.
Penè oculis vidi, Rex inquit, & auribus hauſi,
Bis ergo capta eſt Babylon: date vina miniſtri.
Io Helenus clamat reſonet victoribus Io,
Plaudamus, placidumque hilares, ſocioſque bibamus.
Dum Placidus plenis pateris, ſociique bibuntur,
Rex famulos nutu monet, illi iuſſa faceſſunt,
Et dicto citius ſuccedit tertia menſa.
Quidquid mollis Arabs, quidquid condire Sabæus
Melle

elle ſolet, quidquid perfuſo ſaccare dulce eſt.
grumi, & ſtrobuli, & pretioſi pellis amomi,
caſia, & variis condita placenta figuris,
quas delicias includit Maſa ſubacta,
ıas Roma ignorat, quas Syrus nouit & Indus,
nnia mel, & ſaccar erant.
Admirans Placidus non hæc bellaria dixit,
ın has delicias Mauors & aromata guſtat,
ginas, dominaſque decent hæc liba puellas.
Dixerat, atque oculi nutu prorumpit in aulam
nen fœmineum, ſcutata præibat Amazon,
ıe ſequebantur denæ pulchro ordine Nimphæ,
endentem dextra gladium, clypeumque ſiniſtra
ſtantes, galeamque auro, gemmiſque micantem.
ngreſſæ Regem verbis, Helenumque ſalutant,
m Placidum, & ſocios blando venerantur honore;
ırgit Nymphis Placidus, redditque ſalutem,
ſeruant geſtus ſocij, mollemque palæſtram;
roes eſſent omnes, niſi forma noceret.
Mox vna è ſociis cytharæ vocalia fila
iculo molli tangens, carpenſque, premenſque;
na canit, digitiſque manus, & pectine pugnat.
Ad numeros ſaliunt omnes, cytharamque ſequuntur
nc curſu, nunc inceſſu, nunc præpete ſaltu,
nc lapſu docilis mutant veſtigia plantæ,
nc pede criſpanti, nunc crure & poplite flexo,
nc aliis aliiſque modis, nunc ire putares,
nc celerem properate gradum, nunc penè volare,
nc recta flexaque viâ, nunc itur in orbem,
nc ſociæ, nunc diuiſæ, nunc ſe ordine miſcent,
nc fugiunt, nunc amplexus, nunc oſcula figunt.
nc telis clypeos figunt, nunc tela repellunt,
nc haſtis haſtas figunt, nunc enſibus enſes,
luntur, læduntque hoſtes, & vulnus amicum eſt,
ſanat qui læſit amor.
Finierant; Placidus ludos, & prælia laudat,
Et

Et ſocij appellant illuſtres nomine Nymphas,
Et diuas, ac penè Deas, dextriſque prehenſis
Oſcula dant manibus, non auſi attingere vultus,
Quos caſtus commendat honos; Rex deinde rogatur,
Vt nymphis lautæ cedant bellaria menſæ,
Nec mora, delicias, & dulcia fercula carpunt,
Qualis apes plantas, floreſque pererrat odoros,
Incumbenſque roſæ, tuberoſæ, albiſque liguſtris,
Et violis animas florum, & ſuſpiria guſtu
Extrahit, & ſuccum conflat de pluribus vnum,
Siue is apum ſapor eſt, ſiue eſt vis enthea florum.
Sic nymphæ: at mollis guſtus probat eſſe puellas,
Et dicit non eſſe deas. Poſt oſcula dextris
Impreſſa, & grates blandis ſermonibus actas,
Ad ludos Placidus, pugnaſque inuitat equeſtres,
Et Regem, & Nymphas, & totam Principis aulam,
Craſtina cum ſolem terris aurora reducet.

LIBER TERTIVS.

SYNOPSIS.

PLACIDVS ad tentorium redux Ariſtum interrogat quid de conuiuiis & ſaltationibus ſentiat, Ariſtus quid in iis ſit cauendum docet. Vterque noctis partem in precibus exigit. Illucente die milites ad ludicras

pugnas

gnas ſe comparant; nec diu poſt ſpectante Re-, & aula regia exhibentur duo certaminum nera, primum equeſtris curſus ad penſilem an-lum haſta percellendum; alterum certamen m belluis, leone, vrſo, elephante; ſub hæc rtamina Placidus legionem decimam mittit l expugnandas arces finitimas, tres legiones ad ſidendas Carras, quatuor ad expugnandam eleuciam; dum eæ legiones ad bellum prope-nt, Placidus ad fluuium Tygrin profectus pon-s extructos inuenit, & propugnacula pontibus npoſita: Redeunti ad caſtra nuncius ab aula gia, quæ tunc Antiochiæ erat, cladem vrbis Intiochenæ ab ingenti terræ motu nuntiat, & ericulum Trajani, niſi per feneſtram domus qua tunc erat, quidam inuſitata forma, & uſquam humana foras extractum morti ſub-uxiſſet. Placidus cauſas terræ motus ab Ari-o diſcit, ab eodem monetur vt domum Abra-ami, & Lothi, & Nepotum apud Carras obſi-enti Præfecto & militi commendet. Deſcribi-r clades Antiochenæ, Trajani periculum & lutis cauſa. Illuſtre pietatis facinus erga vi-uam dum ad Dacos pergit.

LIBER

LIBER TERTIVS.

NOx erat, & Placidus monitorem affatur Ariſtum,
Quid de epulis,mixtiſque inter conuiuia ludis,
Quid de deliciis regalis ſentiat aulæ.
Euſtachi, non ludus ait, nec honeſta voluptas
Virtutem vitiant, & habet ſua gaudia virtus,
Et ſuperis iucunda placent, ſed ſæpe cupido
Deliciis, rebuſque Venus ſe miſcet amœnis,
Et lædit dum ludit amor; per mollia verba,
Ridenteſque oculos, nutuſque ſine ore loquaces
Corda ſubit, flammâque animum demulcet amica:
Sensêre inſidias iuuenes, ſonsêre mariti,
Et gelidi ſensêre ſenes; vix ſpiritus ipſe
Vitaret placidos ignes niſi ſpiritus eſſet.
Tu Placide inſidias, blandoſque cupidinis ignes
Declina ſapiente fugâ; licet enſe, manuque
Inſectari alios hoſtes; fugientibus armis
Vincitur hoſtis amor, ne bella doloſa laceſſe,
Viciſti ſi tela times.
Senſi, inquit Placidus, timeoque cupidinis arcus.
Et flammas quibus olim arſi, nec plura locutus,
Præteritæ ætatis iuuenes lugebat amores,
Et tacitis flebat lachrymis; audiuit Ariſtus
Singultus tacitos, oculoſque humentibus vmbris
Clauſit, & inducto terſit ſuſpiria ſomno,
Ipſe expers ſomni, cæloque aſſuetus & aſtris,
Aſſurgens vltra mundum, ſedeſque reuiſens
Empyreas, intra Verbum myſteria Verbi
Aſpicit, & Placidi prænoſcit fata clientis.
Mox naſcente die reuolans ad inania membra,

ſumptoſque artus, inducti nubila ſomni
:terſit molli tactu, Placidumque vocauit.
ıigilans ille, & Numen de more ſalutans,
ɔlligit intra animum præuiſæ penſa diei,
uniaque,& curas partitis diuidit horis :
:citi Proceres Tribuum, lituoque vocati,
ɔponunt Placido pugnas, & ludicra bella,
ıid placeat primùm, an pendens ex aëre diues
ınulus arrecta medius figendus ab haſta,
l curſum velocis equi per inane volantis,
ı iuuenes nudis humeris, & pectore nudo
gnantes ſtricti validis mucronibus enſis,
.ſe repellentes enſes, ictuſque ſine ictu.
Ludus vterque placet, danda eſt tamen optio Regi,
que alij forſan ludi luduntur Edeſſæ,
:c vacuus pugnæ circus, nec inane theatrum eſt,
gis erit placitura loqui : ſuſpendite gemmam,
ıc me donauit Titus, dum ſubruit vrbem,
triplices Solymæ muros, & mœnia templi,
Patris abſoluit palmas, pro Cæſare Cæſar,
pro patre pater, magni pars ipſe triumphi
ɔn poſtrema fui, Placidum me Titus amabat,
:c magni merces gemma eſt,& pignus amoris.
Ite duces, ludoque locum, ſtadiumque parate,
ſolium Regi, & ſedes, vmbramque puellis,
Reges ludos videant, poſſintque videri.
Illucente die Rex procedebat ab vrbe,
cum Rege comes tota incedebat Edeſſa;
ɔuius occurrit Placidus, caſtriſque relictis
ɔmanæ occurrunt Regi pulchro ordine turmæ,
amatur Romana ſalus, clamatur Edeſſa,
iſcentur voces, fit vox ex pluribus vna.
ımpus erat teneris ſtratus naſcentibus herbis,
:tenſus latè, & recto procul æquore planus,
ngebant campum gemini decliuia collis
ılmina, ſpectandis ſedes accommoda ludis.

Fecerat

Fecerat hoc ludens opifex natura theatrum,
Non ars orcheſtram ſimilem, non fabula finxit;
Collem vnum latè diffuſa tenebat Edeſſa,
Circumfuſa acies aduerſa ex parte ſedebat;
Vix oculo poterant ludi meliore videri,
Et ſuperos ſpectaſſe puto.
Ergo, inquit Placidus, quem laudis honeſta cupido
Excitat, in mediam velox deſcendat arenam:
Nobilis hæc pugna eſt, ſub teſte, & iudice Rege,
Nec palmâ victor, nec victus laude carebit.
Prodeo, ait Protus, & pugno ſub judice Rege,
Nec vinci tali pugnæ ſub teſte recuſo,
Et victor magno Regi, victuſque placebit,
Et qui non vincet palmam, ſuperabit amorem,
Et palmam compenſat amor. Nos hæc quoque tangit
Ambitio, exclamant fratres Titiuſque, Tituſque;
Si palmam referat frater, vincemus vterque,
Nos vnus, geminique ſumus. Rex optimus infit:
Macti animo iuuenes, nulli ſua gloria deerit,
Vincendi genus eſt, & vinci, & vincere velle.
Et nos laudis honos inuitat, Amazones aiunt,
Si Regi placet, audemus contendere curſu,
Et pugnare armis; fecit natura puellas,
Heroës virtute ſumus, nec prælia ſolus
Mars gerit, armata eſt inter ſacra Numina Pallas,
Et Bellona Dea eſt, & mas & fœmina virtus,
Et Nymphas habet, & generoſas Roma Camillas.
An hæc arrident ſociæ commercia pugnæ?
Rex ait, arrident votis communibus omnes
Acclamant, grata eſt tanto ſub iudice pugna.
Te quoque digna eſſet, ſi tu Trajane videres:
Ergo, inquit Placidus, ſtadio communis vtrinque
Linea ducatur, quam non excedere poſſit,
Nec victor, nec victus eques: pars vtraque pugnæ
Æmula teſtem habeat, ſpectatoremque fidelem,
Qui nec ludentes fallat, nec fallere poſſit.

O Nymphæ,

O Nymphæ, exclamant iuuenes, pugnate priores,
dimus, & cedit Iunoni Iupiter ipſe ;
matæ cedunt & Mars, & Apollo Mineruæ.
At vobis honor hic debetur, Amazones aiunt,
:roes fecit, ſapiens natura priores,
roum nos vmbra ſumus. Placet æmula pugna,
x ait, hanc ergo definiat alea litem,
ecta in vacuam promiſcua nomina concham
iocuus puer anguſta ſubducat ab vrna,
ıctæ ad ludum ſortis ſeruabitur ordo.
r tantum ad poſitam liceat concurrere gemmam,
ctor erit plures qui gemmæ impreſſerit ictus.
iamque puer ſortes vacua verſauit in vrna ;
uit Baſiliſſa prior ; pugnam auſpicor, inquit,
x pugnare iube, ſuperi, ſuperæque fauete.
:erat, & laxis curſum permiſit habenis,
ıque volat, non currit equus, gemmam attigit haſta.
n læſit, veloce gradu Baſiliſſa recurrens,
no iterum, dixit, pugnæ fortuna ſecunda
ıueas, fiet meritas ſacer agnus ad aras,
que volat ſonipes, non illum aurora præiret,
n ſolem feſtina præit, iamque attigit orbem,
nediam impreſſo penetrauit vulnere gemmam,
x reuolans, noui inquit iter, nec dextera fallet,
: fallit fortuna manum, tange haſta coronam,
etigit, mediamque ſubiuit cuſpide gemmam.
:rat & victrix poterat Regina vocari,
lix primi curſus fortuna fuiſſet,
è tamen prima es Baſiliſſa, aut proxima primæ,
appellauit Nympham, placiduſque Mineruam,
ıs dixit penè eſſe Deam,
ltera ſors te Criſpe vocat, tuba regia clamat,
ro, inquit, fortuna faue, tuque optimè Regum,
c equus albeſcens medius, mediuſque nigreſcens,
oſitum vt ſenſit ſeſſorem, calce ſuperbo
ectam quatiens terram per inane volauit,
ɔumans, frendenſque equitem retinere volentem

Longè vltra poſitæ ſaliens retinacula metæ
Tranſtulit, iratus ſeſſor calcaribus ictum
Ad metas retraxit equum, ſed læſus, & iræ
Impatiens ſonipes rectas ſurrexit in auras,
Et dominum attollens, ponduſque excludere nitens
Inuertit ſecum dominum, veloxque reſurgens,
Affixum erexit dominum, qui murmure blando
Palpanſque & mulcens, iras correxit amore,
Et currens mediam ſuffixit vulnere gemmam,
Atque iterum currens repetito perculit ictu.
Rex caſum admirans, vitatumque arte periclum,
Seſſoriſque animos, & equi, laudauit, vtrumque
Subriſit Placidus, Criſpuſque arriſit, equuſque.
Tertia ſors, Armilla, tua eſt; illa impete facto,
Pugnandi venia ſpectante à Rege perita,
Excurrens plagâ gemmam transfixit acutâ,
Sed vacui curſus alij, ſterileſque fuêre.
Succedens Venilus ludo bis attigit orbem,
Nec læſit, medium penetrauit tertius ictus.
Bis quoque Lucillus, bis ictum gemma fefellit,
Tertius impreſſit plagam felicior ictus.
At ſexta Eriphile geminato vulnere læſit;
Finierant, & Rex laudes & dona parabat.
Ecce tibi iuuenis formoſus, origine Gallus,
Nobile quid ſpirans oculis, & fronte modeſta,
Si mihi detur, ait, ſonipes generoſus, & haſta,
Pugnabo, & triplici percellam vulnere gemmam.
Detur, ait Placidus, iuueni quam ſeliget haſta,
Et ſonipes quemcumque volet, noui ipſe parentes,
Nobilis Aruernus, mixto de ſanguine cretus,
Gallico & Iliaco, genti decus addit vtrique.
Ille ſalutato Rege, auguſtâque coronâ
Inſiliens in equum ſaltu ſine ſuppede ferro,
Ter ſtadium curſu laxis emenſus habenis,
Ter mediam fixit repetito vulnere gemmam,
Nec mora, victorem Aruernum tuba regia clamat.
Aſſenſere

Aſſenſere omnes, Rex majeſtate ſerena
:itum iuuenem, verbis affatur amicis.
c te, inquit, clypeo donat Regnator Edeſſæ,
: patrios titulos, & auorum emblemata Regum
lpta gerit, duroque grauis percuſſus ab auro,
Parthi, & Medi tolerat, ridetque ſagittas.
Hunc Baſiliſſa tibi gemmis, auroque decorum
eritum torquem dono, tu gemma, decuſque
ninei ſexus; fecit natura puellam,
)uerat feciſſe virum: Tu Criſpe mereris
bilẽ equum, quẽ tu arte regas, nec te ille gubernet,
nc dono tibi, non illo generoſior alter
lum amat, & bellum generoſis naribus efflat,
victor ſtratum pedibus iam proterit hoſtem.
Et vobis Equites numiſmata regia dono,
ida virtutem veſtram fortuna fefellit,
; ego victores omnes hoc munere dono.
ubjecit Placidus; pretioſa hæc omnia dona;
)iliora facit donantis dextera Regis.
Viuat Io, reſonant omnes, lituique, tubæque,
)ilis hæc, inquit Rex, eſt, ſed ludicra pugna.
ıon iſta ferox exercet prælia Parthus,
ı enſes, non vibratas ex arte ſagittas,
ı arma, & vultum præſentis ſuſtinet hoſtis;
ıa fugit, ſoloque expectat vulnera tergo.
ducit timidus ſæuos ad bella leones,
)ſque, & viſu formidandos elephantos.
o ait, huic præſtat maturè aſſueſcere pugnæ;
: ego monſtra meis caueis incluſa reſeruo,
uſque eſt nobis elephas, vrſuſque palæſtra.
nate hanc pugnam iuuenes, hunc ludite ludum;
c fortunati fient præludia belli.
ıos hæc, inquit Placidus, certamina Romæ
imus, & forſan nos hæc ſpectacula quondam
mus, ſi vota diu promiſſa valebunt;
no intellexit votum, percepit Ariſtus,

Et Placidum ſpectans, nutu myſteria dixit.
Iamque inſtructus erat circus, totoque theatro
Diſpoſitæ ſedes ludos ſpectantibus aptæ ;
Et ne ſpectantes lædant, aut lædere poſſint
Immanes horrore feræ, iratæque videri,
Arcebant aditus præfixa repagula circum,
Et tutus ſpectator erat, vacuumque periclum.
Surgebat medio ſolium ſublime theatro
Erectum Regi ſolium : verum ille relicta
Majeſtate throni, Placido, ſociiſque ſedere
Æqualis voluit, nemo fuit ordine primus,
Primi omnes, dum nemo prior, nemoque ſecundus.
Inter fœmineas maior fuit ordo puellas,
Sponſæ Heleni delatus honos, & regia ſedes,
Cingebant ſedem iuuenes, armataque turba,
Arcebant hominum ſtrepitum, horroremque ferarum.
Et iam tres iuuenes armis, animiſque paratis
Pugnam expectabant alacres, Romanus Alexis,
Aruerna de gente Dorix, Ramirus Iberus,
Præfectus ludo Dorylus, Rectorque ferarum,
Nutum expectabat Regis, vocemque tubarum.
Prodeat ex cauea magnus leo, clamat Anarchas :
Protinus ecce leo regali è carcere prodit,
Et Regem magna ſe majeſtate probauit ;
Mox oculis circum luſtrans, hominumque coronam,
Et circum armatos iuuenes, obiectaque clauſtra,
Accendens ira pectus, caudaque flagellans
Ilia, rugitu totam turbauit arenam.
Armati tremuere viri, expauêre puellæ,
Solus præuiſas iras irriſit Alexis.
Ille ſciens genios hominum, genioſque ferarum ;
Legerat ardentes oculos aciemque leonis,
Subtiles ſolis radios, lumenque timentes,
Poſſe excæcari radiis, & luce reflexa,
Et facilem pugnam cæco cum Rege futuram.
Iamque leo irarum plenus circumſpicit omnia,
Incertus

:ertus quò tendat iter, nec lentus Alexis,
;enium, motuſque omnes examinat hoſtis:
›x greſſu æquali ſenſim procedit vterque,
poterant hauriri oculis, totique videri,
iuuenem prodire leo conſpexit inermem,
licet irriſit pugnam, ludumque putauit.
At iuuenis caput opponens, humeroſque diei,
ratumque enſem flectens, iterumque reflectens,
dentes ſolis radios mittebat in hoſtem,
ctanteſque oculorum orbes, ſolemque timentes
›gebat tolerare diem, pupillaque læſa
cutiens lucem tenebris ſe opplebat amaris;
ımque leo offenſis oculis rugitque, vagaturque,
furit irato frendens quem deuoret ore,
it quem diſcerpat falcatis vnguibus hoſtem.
ım iuuenis chlamidem euoluens, quã dextra tegebat
rpuream, implicuit collo, mentoque leonis,
›doque adſtrinxit gemino, veloxque receſſit,
ımque leo implicitus partes ſe voluit in omnes,
ccutiens collum, & mentum, vincliſque teneri
ıpatiens, vacuaſque implet rugitibus auras,
ſidiis, plagæque locum meditatur Alexis,
›x celer aduerſo lateri medium indidit enſem,
ımque leo ſatagit plagam obturare fluentem
;eminat vulnus, plagamque extendit Alexis,
ıgitum ingeminans læſus leo, ſuſcitat iras,
quærit, ſed quem lædat non inuenit hoſtem,
erea gemino rotat de vulnere ſanguis,
ficiunt ſenſim vires, titubatque, caditque,
luctantem animam regali in ſanguine mergit.
Viuat io clamant litui, io vivat Alexis.
x animum, iuueniſque dolos miratus Alexis,
udauit coram, & torquem donauit equeſtrem,
udauit Princeps Helenus, dominæque puellæ,
ıplexus iuuenem Placidus, laudauit, amauit.
Prodeat è cauea ſacer vrſus, clamat Anarchas,

Clamauêre tubæ, & litui cecinere ſonori.
Nec mora, prodiuit crinitus, & horridus vrſus,
Et mouit pueris riſum, horroremque puellis.
Protinus eximius forma vultuque Diorix,
Aduerſo ex circo prodit, Regemque ſalutans,
Atque Helenum, ſpōſamque Heleni, dominaſq; puellas,
Et Placidum, & ſocios, totumque ex orbe theatrum,
Spectantes oculos rapuit, meruitque fauores.
Iamque incedebat villoſus & horridus vrſus,
Legerat Aruernus iuuenis cerebrumque, caputque,
Temporaque vrſorum plagis infirma ferendis,
Impreſſoque olim præduri verbere pugni
Obtuſos cecidiſſe vrſos, ictuque periſſe;
Vt vidit venientem vrſum, celer obuius iuit,
Stantemque extremis cernens inſiſtere plantis,
Brachiaque & primas ad luctam extendere plantas,
Proceſſit luctam ſimulans, vrſumque feſellit,
Scilicet arreptis villis dorſoque prehenſo
Inſiliens ſcandit, genibuſque & cruribus arctè
Adſtringens, villoſque manu, morſuque prehendens,
Arte noua nouum equum domino parêre iubenti
Inſuetus cogebat eques; rudis ille, furenſque
Impatiens equitis dorſum excutiebat onuſtum;
At prudens eques inuitum voluebat in orbem,
Et iam centenos curſus, totidemque recurſus
Egerat, & capite obtuſo, cerebroque laborans,
Viribus exhauſtis cadit, & procumbit humi vrſus.
Tum celer Arvernus, compreſſi verbere pugni
Tempus vtrumque quatit feriens, mox enſe recepto,
Quem ſcandens vrſum projecerat, ilia ventris
Percellens animam fuſo cum ſanguine mergit.
Victori læto applaudit tuba regia cantu,
Rex quoque laudatum pretioſo torque coronat;
Laudauit Placidus, dominæ ornauere puellæ,
Et toto inſonuit victrix Arvernia circo.
Tertia pugna elephas, vix tanto exercitus hoſti
Par

Par eſſet, magnas acies ſæpe ille fugauit,
Sæpe hoſtes pugnare auſos proboſcide longa
Arreptos, vacuas longè diſperſit in auras;
Sæpe alios proſtrauit humi, pedibuſque ſuperbis
Protritos, prædam canibus projecit edendam.
His Parthus pugnat monſtris, dorſoqe capaci
Imponit turmas hominum,armataſque cohortes.
Educ ex cauea magnum cuſtos elephantum,
Exclamat Præco, veniat magni æmulus hoſtis.
Procedo ad pugnam, Ramirus clamat Iberus,
Et vinco, ſi Rex fauet, & generoſa corona.
Iamque elephas dorſum inclinans,& poplite flexo
E cauea egrediens circo ſe oſtendit aperto,
Spectantemque videt populum, gaudetque videri,
Regemque & dominas flexa proboſcide adorat,
Irriſit monſtrum miles, ſubriſit Edeſſa;
Vt ſe rideri ſenſit, ludibrij & iræ
Impatiens, grandi barritus murmure totum
Impleuit circum, propiuſque repagula ſpectans
Succutiens humero & dorſo nutare coëgit.
Terruit hic omnes fragor, impendenſque periclum,
Si caderent clauſtra, & magni tutela theatri.
Mox paſſu irato gradiens, vt vidit inermem
Ire ex aduerſo iuuenem, deſpexit amaro
Barritu, iamque accedens promulſide longa
Arripere, & vacuas iactare parabat in auras:
At iuuenis celeri motu, flexoque receſſu,
Declinans iras elephanti, & vulneris ictum
Extenſæ partem promulſidis enſe vibrato
Præſcindit, celerique fuga ſe ſubtrahit hoſti;
Tum vero iraſci, furere, & barrire cruentum,
Subiectumque ſolum irata ſupplodere planta,
Et iuuenem toto ad mortem perquirere circo.
At iuuenis ſub ventre feræ ſe molliter abdens,
Et motum, curſumque ſequens, imitanſque recurſum,
Ibat iter genibus nitens, & corpore pronus,

Audaci tandem mucronis acumine pellem
Percellit duram, ferrumque per ilia tendens,
Vitales ſecuit venas, largumque cruori
Effodit laticem, & mixtæ cum ſanguine vitæ,
Dum cruor emanat, rorantibus ipſe fluentis
Spargitur, & madidus fuſo de rore madeſcit.
Senſit plagam elephas, vndaſque exire cruoris
Ex ſonitu ſenſit, tum vero percitus ira,
Et procul, & circum quærit quem deuoret hoſtem,
Nec procul hoſtis erat; latitans ſub ventre mouetur,
Sobnitens genibus pronis, & corpore flexo,
Inceſſus, motuſque feræ, & veſtigia ſectans,
Denique paulatim vt ſenſit languere elephantum,
Tum verò è latebris membrorum,& corporis vmbra
Exilit, & nutare videns languentia membra,
Crura feræ mucrone ferit, corpuſque labaſcens
In latus impellit, procumbit carnea moles.
Qualis ab exciſis pendens radicibus ilex
Inclinat ſenſim caput, & nutantia brachia,
Et læſum tandem truncum vincente ruina
Labitur, & caſu latè tremit obuia ſylua.
Vicit io reſonant litui, Ramirus Iberus
Vicit, & hoſtili madidus de ſanguine rorat;
Purpuream chlamidem victor Ramire mereris,
Rex ait, hanc dono gemmis, auroque rigentem
Laudauit Princeps, Placiduſque & nobilis aula,
Et Nymphæ è membris pulchrum tersêre cruorem.
Ludorum ſatis eſt Rex inquit,ad arma vocamur,
Sunt tamen hæc etiam pulchri præludia belli.
I Placide, heroes ite, & mox arma parate,
Vincemus, Parthuſque ferox, & Perſa ſuperbus
Ludus erunt, Romæque orbis ſubdetur Eous;
Et nos pars erimus belli, Romæque clientes,
Et dominus Trajanus erit, Placiduſque ſecundus,
Nos ſocij, tu frater eris Euſtachius inquit,
Et tecum communis erit victoria belli.

Viuat

Viuat io, clamat miles, Regnator Edeſſæ,
Laudetur victrix Roma, & laudetur Edeſſa.
Iam vicinus erat caſtrenſi exercitus vrbi,
Collectaſque acies verbis compellat amicis;
Pendentis Placidus ſurgens è vertice collis.
O ſocij, fratreſque mei poſt ludicra bella
De bellis agitur Romano milite dignis,
De Romæ imperio quod Parthus iure ſuperbo
Vſurpat domitus toties, iterumque domandus,
Communi de pace orbis, patriæque ſalute,
De ſuperum cultu, templiſque, ariſque Tonantis;
Vos Superûm vltores eritis, mundique Patroni,
Et mundus vult eſſe cliens: Macti ergo ſodales,
Poſtremum hoc certamen erit, nec pugna cruenta
Hæc erit, aſpectu ſolo terrebitur hoſtis,
Tentabitque fugam, periit ſi euadere neſcit,
Et ſi diffugiat periit, nec tela fefellit.
Interea ſolui iubeo ſtipendia belli,
Trajanus celer adueniet; laudabo ſodales,
Virtutes dicam, moreſque & bellica facta.
Cuique ſuus reddetur honos, & debita merces,
Et merces Trajanus erit.
Ite alacres, & pulchrum animo præſumite bellum;
Ludus erit Parthus, fiet victoria Medus.
Interea expectate duces, Placidumque iuuate
Conſiliis veſtris: ſedet hæc ſententia menti,
Si vobis mens noſtra placet, ſin veſtra placebit.
Tota inter fluuios regio expugnanda videtur;
Tota olim Romana fuit, patet orbis Eous,
Hæc ſi porta patet, ſi clauſa eſt clauditur orbis.
In mediis Parthus tria propugnacula campis
Obtinet, & geminas vrbes, Carramque, Seleucemque,
Expugnandæ arces, ſi dedi ſponte recuſent,
Pellendus Carra Parthus, reddendaque Romæ
Vrbs olim Romana cliens; Pons ille Seleuci
Committens geminos fluuios, geminoſque remittens

Subdendus Romæ, & Tygris,Euphrateſque clientes,
Et dominus Tiberinus erit: nox cætera dicet
Conſilia, & cunctis dabitur ſuus ordo Tribunis:
Tu Præſes fiſci conſueta æraria pende,
Trajanus maiora dabit.
Dixerat: aſſensêre duces, Placidumque probarunt.
Ipſe alacer celeri repetit tentoria greſſu.
Poſt epulas, humileſque preces, & reddita vota,
De ludis fidi ſenſus explorat Ariſti.
Vidiſti, & tecum vidi, reſpondet Ariſtus,
Ludentes de vita homines contra æmula bruta;
At facilis iactura vrſi, faciliſque leonis,
Nobilis eſt hominis ſanguis, pretioſaque vita,
Quam lachrymis emit Chriſtus, pretioque cruoris,
Nec lachrymæ, ſanguiſque Dei ſunt iuſta voluptas.
De bello rectè ſentis, deque ordine belli,
Expugnandæ arces inimicæ, vrbeſque rebelles,
Pellendus longè præter duo flumina Parthus.
Prima Deum hæc regio coluit, Chriſtoque fidelis.
Credidit, & longis olim reuerebitur annis
Romanam Romana fidem; ſic illa ſuperbi
Ambitio Parthi medio excludetur ab orbe.
Vnum de cælo moneo, cæloque placebis,
Has olim magnus terras habitauit Abrâmus,
Ille Pater ſacræ gentis, Chriſtique futuri
Grandis auus fuit, huic tellus Babylonia primùm
Hoſpitium,dehinc Carra fuit, nunc denique Carra
Affines habet Abrami, Tarræque Nepotes;
Præcipe ne miles ſacras irrumpat in ædes,
Et nomen veneretur Abræ, hæc reuerentia Chriſto,
Et magnis debetur Auis, & vos quoque proles.
Abrami, Tarræque eſtis,fideique Nepotes:
Et Lothus ſanguis Tarræ, & cognatus Abrami,
Hæredes Carris habet, affineſque Nepotes;
Præcipe ne miles cognata hæc omnia lædat,
Sunt Ataui Proauique Dei.

Reddiderat

Reddiderat lucem terris aurora rubeſcens,
ngreſſos Placidus Proceres, belliquе Tribunos
Alloquitur; nunc ô ſocij nos tempus ad arma
Vocat, expugnandæ arces, vrbeſque rebelles,
Eripienda hoſti medij magna inſula mundi,
Et victus toto Parthus pellendus ab orbe eſt.
Tu Manli octauam, nonamque aſſume cohortem,
Et geminas equitum turmas, arcemque ſuperbam
Emiliæ, verbis primùm, lituoque minaci,
Deinde baliſtarum plagis, atque ariete crebro
Verbera, & ingenti muros proſterne ruina;
Audiat Euphrates murmur, Romamque tonantem,
Et timeat ne Roma tonet.
Tu Læli turres vbi Craſſum Parthia vicit,
uerte, & Romam, victumque vlciſcere Craſſum,
Tecum ibit legio Craſſi de nomine dicta,
t Romam, & Craſſi cineres defendet inultos.
Ridebit Fauſtine tuas arx tertia vires,
npoſitum rupi caſtrum Rupella vocatur,
ıfuſo ſaxi rimas implebis acuto,
cindetur rupes, per hiantia vulnera ſaxi,
pitam ſomno miles nocturnus in arcem
ruet, & raptam victor populabitur vrbem.
Tu Varro Carras foſsâ, valloque corona,
urreſque & muros veteres crebro ariete pulſa,
aſcetur medios inter diſcordia ciues,
rs victi deplorat adhuc fata vltima Craſſi,
rs Parthum metuit, vincet præſentia Romæ,
veteres pellet præſens fortuna timores,
oſtra iterum Carra eſſe volet; dum diuidit vrbem
ditio, armatus miles per mœnia fracta
uat, & timidos, auſoſque reſiſtere Parthos
anſadigat gladio, parcat ponentibus arma,
qui ejurati frangent inſignia Parthi.
ıum oro, ſi qui Abrâmi de ſtirpe Nepotes,
Lothi hæredes viuant, ne militis ira

Sæuiat in miſeros, ſacraſque irrumpat in ædes:
Hæc vobis ſit ſacra domus.
Tu Milo, Seleuci vrbem, pontemque ſuperbum,
Et gemini dominum fluuij pulſo eripe Partho,
Seruiat Euphrates victus, Tigriſque ſubactus,
Et dominum Tiberim captiuus adoret vterque,
Vrbs tamen aſſueta imperio generoſa reſiſtet,
Tu muros ducto circum lato aggere cinge,
Foſſaſque ingentes ſtagnanti flumine plenas
Aggeſtis comple glebis, perque obuia ligna
Miles eat, lapidumque imbres, murique ruinas
Excipiat ſub vite latens, muroque propinquans
Aſcendat ſenſim adrepens, primiſque ſubactis
Cæſiſque excubiis mediam prorumpat in vrbem,
Inflammetque domos, dumque omnia deuorat ignis,
Nec geminus fluuius flammarum incendia ſopit,
Territus aufugiet Parthus, pontemque relinquet,
Et vacuæ tutelam vrbis. Tu pontis & vrbis
Præſidium, & portas armato milite firma,
Tum Rex fluuiorum Euphrates, Tigriſque ſubactus
Agnoſcet Tyberim, & dominam reuerebitur vrbem.
Ite duces, arceſque omnes, vrbeſque rebelles
Deſtruite, & pulſis vltra duo flumina Parthis,
Poſtremos dominam Romam extendamus ad Indos,
Et gemino victor regnet Trajanus in orbe,
Sol vnus, totique ſat eſt Rex vnicus orbi.
Interea pontes fluuiis, impoſtaque clauſtra
Luſtrabat Placidus, facilemque parabat ad hoſtem
Acceſſum, & facilem reditum. Vt peruenit ad oram
Currentis Tygris, videt altam aſſurgere molem
Lignorum, & fluuio populoſam incumbere ſyluam,
Spumantes fluctus, indignanteſque teneri
Inuiti currunt, irataque murmurat vnda.
Pons erat arboribus ſectis, ferroque dolatis,
Et trabibus longis, latiſque ex ordine ſtratis
Infixis fundo fluuij crebro arietis ictu,

Proceræ

'roceræ quercus, artemque imitantia ligna
ontem extendebant, aduerſam ad fluminis oram,.
rboribus centum ſectis, ferroque reuinctis
ternebatur iter, tutuſque per aëra greſſus
ıb pedibus ſecurus erat, claudebat vtramque
ontiſque & fluuij ripam ingens ſaxea rupes,
upique innexus murus, porta inſita muro
ındebat fluuij portam, & claudebat apertam.
Nec longè pons alter erat, longo ordine naues
er denæ ingentes, ferroque & fune retentæ
'æcipitis curſum fluuij, metaſque tenebant,.
auibus impoſitæ quercus, ferroque ligatæ
ernebant iter, & latum per compita greſſum,.
e rapidus naues ventus, vel fluminis ira
ɔriperet ſurſum attollens, mergenſque deorſum:
oceræ quercus vtramque ad fluminis oram
:ctebant primas naues, ſociaſque trahebant,
: fluerent, & erant toti retinacula Ponti.
Nec minus Euphrates, geminique induſtria pontis:
ımanis pandebat iter, Parthiſque negabat.
Admirans operas Placidus promiſit honores
rfectis operum, tribuit quoque præmia fabris.
Luſtratis Placidus fluuiis ad caſtra redibat,
entus animo voluens, caſuſque futuros.
Ecce tibi curſor vultu feſtinus anhelo
ıentare docet Brutum, lectaſque cohortes,
:celeres equitum turmas, peditumque cateruas.
Euerſos addit muros, & templa Deorum,
otam Antiochem ſubita periiſſe ruina,
janumque ipſum, niſi fata & Numina Diuûm
ıaſſent, vitæ præſens adiiſſe periclum.
ra, inquit Placidus, triſte & miſerabile fatum
jani, magnæque vrbis lugubre periclum.
Vox erat, adjecit curſor, ſubitoque tumultu
damenta vrbis nutare, & tecta domorum,
nuri rimis diſſolui, & hiare ſoluti,

Et

Et ſenſim cadere, & communi inuoluere caſu,
Diuulſaſque trabes, & ligna, affixaque muris
Ornamenta domus, menſaſque, abacoſque, thoroſque,
Et vaſa, & quidquid numerat pretioſa ſupellex.
Quod lachrymas vincit, matres, pueroſque, ſeneſque
Inuoluêre trabes & ligna, thorique cadentes,
Et thalamus tumulus fuit, & conclaue ſepulchrum.
Quis cladē infandā memoret, lachrymaſque, metuſq;
Arma, omnes clamant, & quæritur hoſtis in vrbe,
Et nemo hoſtis erat, clades tamen, vndique clades,
Sub pedibus mugire ſolum, ruere omnia circum;
Nec fuga, nec ſecura quies, & vbique periclum.
Vidi ego nutantes ædes, turreſque ruentes,
Permixtoſque ruinæ homines, partimque ſepultos,
Partim ſemineces miſeram implorare ſalutem;
Nec matres miſeris poterant ſuccurrere natis,
Nec famuli dominis; nec ſe ſuprema juvabant
Numina, Iunonem vidi, Veneremque iacentem,
Oppreſſit Martem templi iactura cadentis,
Oppreſſitque Iouem, ſuperi ſenſêre ruinam,
Et nocuit natura ſibi.
Iamque altæ Trajani ædes, turreſque tremebant,
Et caſus vicinus erat, iam Principis aula,
Et miles, famulique ſibi, dominoque timebant.
Ecce tibi viſenda hominis nec nota figura,
Siue is homo, geniuſque fuit, famuluſque Deorum,
Trajanum eduxit dextra, exemitque periclo,
Vixque pedem extulerat, collapſaque corruit aula.
Numen adorauit Placidus, iuſſumque redire
Curſorem Eupolemo verbis commendat amicis,
Oſtendi caſtrorum ædes, tentoria & arma
Imperat, inſtructamque aciem, peditumque cateruas,
Et turmas equitum, & Martem ſpirantia caſtra,
Expugnati arces omnes, Carramque, Seleucemque,
Euphratem, Tigrimque nouis ſub pontibus ire,
Et facilem ad Parthos aditum, Gangemque patere,

Et

Et Regem & dominum mundus te expectat Eous,
Si Trajane venis.
Interea Placidus meditans telluris hiatum,
Antioches caſum, & Trajani triſte periclum,
Sub lunæ noctiſque ortum ad conclaue regreſſus:
Dic, ait, hæc rerum myſteria frater Ariſte,
Si tamen hæc ſecreta velit myſteria ſciri
Qui rerum ſecreta facit; Quis hiantia terræ
Viſcera torquet agens intus, tantoque tumultu
Hæc extra tormenta facit? quæ dextra parato
Trajanum eripuit fato, fatumque fefellit,
Si fatum res illa fuit; dicam, inquit Ariſtus.
Telluris motus, & hiantis vulnera terræ,
Sæpe facit natura ſoli, geniuſque locorum,
Scilicet arcanæ circum penetralia terræ,
Halantes animæ latitant, clauſique vapores,
Cumque leues exire parant, adituſque negatur
Concutiunt vterum claudentem, & carcere rupto
Cum ſonitu erumpunt fracta compage viarum,
Ædeſque impoſitas, muroſque, & ligna, trabeſque,
Et tecta euertunt, auulſaque fundamenta.
Natura hos igitur motus, terræque ruinas
Sæpe facit, ſæpe ipſe Deus, qui pondera mundi,
Et terræ ſuſtentat onus, vacuiſque ſub antris
Viuentes ventorum animas, madidoſque vapores,
Igneſque accenſos mediis permiſcuit vndis;
Et ſinum terræ, & venas, rimaſque & hiatus,
Et flammis, clauſiſque aperit ſpiramina ventis,
Inde illi terræ motus, domuumque ruinæ,
Monteſque æquati campis, & montibus agri,
Hæc tamen inuerſi miracula triſtia mundi
Sæpi facit ira Dei, dum prouocat arma
Impietas, cogitque Deum ne parcere poſſit,
Et velit: hæc cladem Antioches, pœnaſque popoſcit
Iudicis ira Dei: noui perjuria gentis,
Crimínaque, & mores, & læſi opprobria Chriſti,
Neglectam

Neglectamque fidem, retineri longius ira
Non potuit, mediæ plebi tamen ira pepercit.
Quæ manus, ignotique hominis non nota figura,
Trajanum cladi ereptum ſubtraxerit vrbi
Quod petis, hic cuſtos genius fuit, accipe cauſam.
Ad bellum & Dacos Trajani exercitus ibat,
Et ductor Trajanus erat, dum Roma ſalutem,
Et felix exorat iter, celeremque triumphum,
Ecce tibi mulier lachrymis, tacitiſque ſuſurris,
Singultuque, aliquid muto ſermone rogabat,
Iuſſa loqui, Trajane, inquit, mihi reddito natum
Occiſum, matri vnus erat: cum venero reddam;
Quid ſi non redeas, mater triſtiſſima dixit,
Felicem ſpero reditum, Rex inquit, equoque
Deſiliens, miſeram amplectens, dextraque prehendens,
En natum, tu fili inquit, ſolare parentem,
Fleuit, & ad Dacos iuit, victorque rediuit.
Vidi oculis, inquit Placidus, nondum ipſe fidelis,
Laudaui factum, Trajanique arma ſecutus,
Et belli pars magna fui, facto inquit Ariſtus
Difficilis belli, & capti victoria Daci
Debetur, præſenſque ſalus, vitataque clades,
Dum terræ ingenti motu, magnaque ruinâ
Antioche periit; ſuppreſſit cætera ſomnus,
Dormiit admirans Placidus, vigilauit Ariſtus.

LIBER

LIBRI QVARTI
SYNOPSIS.

RISTVS ſub auroram narrat Placido vidiſſe ſe aduentantes auxiliares Arabum ias, interque illas tres Regum Magorum Ne- s, tribus turmis Præfectos; Roganti Placido licat Magorum aduentum ad præſepe Chriſti, editum ad ſua regna: addit Ariſtus mon- ta ſibi Regis Heniochorum auxilia ductore laſpe, quem Clemens Papa relegatus Cherſo- baptiſarat: Interroganti Placido quis Cle- s eſſet? narrat cauſam exilij, miraculum fon- onuerſionem Hydaſpis, & commendatos illi lemente geminos fratres: Aduentant auxi- s Arabum copia: deduntur Carra à Var- obſeſſa: Expugnantur tres arces: Brutus cum legionibus Romanis: Narratur expu- io vrbis Seleucia: Tranſmittitur Tygris ab citu per pontes extructos: Hydaſpes adueniit auxiliari exercitu: Commendat Placido es duos à Clemēte ſibi traditos, & filios Pla- ſed adhuc ignotos: itur Arbellam ab exerci- ſidetur vrbs: mittitur colūba ad Reges, quæ vrbis doceat: capitur columba, & remittitur itutâ aliâ ſcheda: denique Arbella capitur.

LIBER

LIBER QVARTVS.

ALBESCENTE die,cæloque abeuntibus aſtris,
Et lunâ fratri ſtadium cedente diurnum,
Et nocti ſeruante locum: poſt reddita vota,
Aſſuetaſque preces ſuperis, Placide, inquit Ariſtus;
Vidi incedentes Arabum longo ordine turmas,
Felicis, ſteriliſque plagæ, affineſque Sabæos,
Sereſque, & Tharſes: Lepidus ſocia agmina ducit;
Sub Lepido terni Heroës de ſtirpe Magorum,
Et veterum Regum, quos ſtella præambula duxit
Ad nati præſepe Dei, gentilia ducunt
Auxilia, hi Numen credunt, ſtellâque magiſtrâ
Agnouere Deum humana ſub carne latentem,
Dicam Principibus ternis Placidum eſſe fidelem,
Illi atauos inter Reges aut viuere credent,
Aut patriam ſupereſſe fidem, fidique clientes,
Tu fidus Patronus eris. Dic Frater Ariſte
Vnde Magos Reges, & quæ fax præuia duxit?
Et longæ quæ cauſa viæ? dicam, inquit Ariſtus,
Æterni Patris ſoboles miſerata ruinam
Humani generis, quam culpa parentis Adami,
Et capitis, contra iurati fœdera pacti
Patrarat, grandis culpa, & quam abſoluere ſolus
Hic poterat, qui læſus erat, ſed inulta manebat
Iuſtitia, & mortis pœnâ, nihilique ruinâ
Dignus erat peccator homo: miſeratus Adami
Progeniem, Natus Patris mortalia membra
Induit, & mortem aſſumpta ſub carne ſubiuit,
Placauitque Deum Deus, & Patris ira quieuit.
Ne tanta hæc Verbi pietas ignota maneret,
Teſtata eſt noua ſtella Deum, Regeſque, Magique

Inter

ıter ſpeluncæ paleas, ſtabulumque, feraſque
gnouere Deum, reduceſque ad patria regna
oos populos viſæ miracula ſtellæ,
t natum docuere Deum: de ſtirpe Magorum,
t Regum eximij juuenes patria agmina ducunt,
ajeſtas, & honor vultus, auguſtaque forma
æredes Regum eſſe probat, fideique nepotes:
Hos ego, ait Placidus, merito complectar amore,
egaleſque colam cognato in ſanguine Patres.
Vidi alias monſtrante Deo procedere turmas.
llis natalis regio circum æquora Ponti,
enìocho Regi parent, præit agmina Hydaſpes,
ic etiam Chriſtum colit, & pars maxima regni:
entem illam docuit fidei myſteria Clemens,
um Româ excluſus luſtrauit littora ponti;
t ſedes Cherſona fuit: dic frater Ariſte,
uis Clemens, & quæ cauſa ablegauit ab vrbe?
t profugum ad ſteriles ponti damnauit arenas?
uos populos, & quos Reges baptiſmate tinxit,
fidei ſacra petra fuit? Dicam, inquit Ariſtus,
ıditor Petri Clemens ſuccedere Petro
oluit, & claues Lino, Cleroque reliquit,
dignum ſe ſorte ratus, ſed ſede vacante
dmiſit claues tandem, & ne Roma vacaret
mbra Petri, Petruſque fuit: miracula rerum
eddita lux oculis, ſonus auri, lingua loquelæ,
greſſus pedibus claudis, & vita ſepultis
lamabant Chriſtum eſſe Deum, qui fata gubernat,
on quem fata regunt, hunc per miracula Clemens
onſtrabat verum eſſe Deum, falſoſque probabat,
uos fecit natura Deos, Marteſque, Ioueſque,
t Veneres, nuptaſque Deas, nec ſydera, cælumque
ſſe Deos, ſed qui cælum producit & aſtra.
entilem poterant hæc ſigna euincere Romam,
e faceret ſe Roma Deam, miracula Cæſar
dmirans, hominemque timens, quem fata timerent,

Clementem

Clementem ad nigras ponti damnauit arenas.
Ibat ovans, virtuſque comes, pietaſque præibant,
Et Petrus, & Petri ſedes immobilis ibat,
Hic reſidens vbi Petrus erat: miracula rerum
Pone ſequebantur diuinæ oracula linguæ,
Et Clementis erant, & magni vmbracula Petri.
Marmora cultores fidei bis mille ſecabant,
Damnati ad lapides miſeri, & ſine crimine ſontes
Adjunxit ſe operis Clemens, & ſaxa ſecabat.
Mons erat ingenij ſterilis, non herba, nec arbor
Creſcebant, deerat miſeris ſitientibus vnda
E longis quærenda locis, circum omnia Clemens
Explorans oculis, videt Agnum è vertice montis
Pendêre, & placidæ repetito verbere plantæ
Subjectam ſupplodere humum, ſenſimque cauare,
Mox gracili caudâ ludens, vultuque ſereno
Clementem aſpiciens, flexis, oculiſque reflexis
Subterlabentes ſub plantis indicat vndas,
Et loquitur quâ voce poteſt, potumque figurans
Inclinat caput, attollit, rictuque patenti,
Et clauſo gratum ſimulat guſtare liquorem,
Et fontem ſicco ore bibit, gaudetque bibendo.
Accurrens propius Clemens, terramque ligone
Suffodiens molli planta quam ſcalpſerat Agnus,
Elicuit liquidum terræ de viſcere fontem,
Et grandem adjecit quo curreret vnda canalem,
Guſtauitque vndam, guſtanti præbibit agnus;
Mox vbi guſtauit, tenues euaſit in auras.
Accurrunt omnes Operæ, & miraculum adorant,
Extinguntque ſitim, & læti miracula potant.
Exciuit latè populos mirabilis vnda,
Et potus ſiccis, ægriſque medela ſalubris,
Et ſanis ſana vnda fuit: miracula fontis
Clementis nomen varias ſparſere per oras:
Finitimi latè populi, febreſque, lepraſque
Sanatas, viuaſque neces, & reddita membra

Mirantes

[M]irantes genium, è cælo veniſſe putabant,
[A]ut magnum quemdam eſſe Deum, cui fata ſubeſſent,
[S]truirentque Dij, & mater Natura Deorum.
Audiit Heniochi Regis dilectus Hydaſpes
[F]ilius, & famam coram experturus adiuit
[C]lementem, placuit Clementi viſus Hydaſpes,
[E]t Clemens placuit, ſacræ dedit oſcula dextræ,
[A]mplexuſque rogat ſupplex, quod Numen adoret?
[Q]uis verax Deus, & quali dignandus honore?
Ille Deum docet eſſe vnum, trinumque, Patremque,
[E]t Verbum de Patre ſatum, Numenque ab vtroque
[S]piratum, trinumque Deum, tria lumina Solis,
[E]t Solem tamen eſſe vnum; huius Solis imago,
[E]t radius vir primus erat, ſcintillaque conjux,
[F]elices ambo, ſi ſtellæ, aut ſydera vellent,
[N]on Soles, aut eſſe Dij: peccauit Adamus,
[D]um vetitam frugem, & pomum, mortemq; momordit,
[I]nfelix Pater incluſam ſub fœdere prolem
Conſortem ſceleris fecit, pœnæque paternæ
Participem, ipſe miſer paradiſo excluſus, & exul
Progeniem miſeram felici excluſit ab horto,
Subjecitque neci, & pœnis damnauit auitis,
Et Reges quoque communis vitiauit origo;
Naſcimur hæredes culpæ, pœnæque paternæ.
Æternum Patris Verbum, dilectaque proles
Humanam miſerans ſortem, patriamque ruinam,
Mortalem aſſumpſit formam, culpamque redemit,
Cui compenſandæ ad pondus vis nulla creata
Par erat, æqualiſque Deo perſona Parentem
Placauit Natus, diuinæ ad pondera libræ,
Et culpam ſuperauit onus: Deus ille colendus
Eſt tibi, ſi ſperas æternæ iura coronæ,
Atque hæres vis eſſe Dei. Credo, inquit Hydaſpes
Credo vnum, trinumque Deum, nec Numina plura,
Nec plures poſſe eſſe Deos, precor ablue fonte
Præteritas vitæ noxas, do nomina Chriſto,

Et

Et falſos ejuro Deos : De Rege profano
Fac humilem Chriſti famulum, Petrique clientem,
Nec te Rex Pater, & regni promiſſa corona,
Nec moueat conjux, & conjugis vnica proles,
Ingenium ſponſæ noui, moreſque parentis,
Antiquos colit ille Deos, ſed ſæpe negantem
Audiui poſſe eſſe Deos, quos fabula vatum
Aut homines fecere Deos, myſteria credet,
Et Patris, Natique fidem comes aula ſequetur;
Tu Paſtor communis eris : Complexus Hydaſpem,
Et lachrymans Clemens lachrymas exciuit Hydaſpis,
Et pronus pronum luſtralibus abluit vndis.
Aſſurgens, plenuſque Deo monſtrante futura,
Audi, inquit, caſuſque tuos, venturaque fata,
Ibis Romuleis caſtris adjutor amicus,
Et ſocias acies aquilis victricibus addes,
Euſtachius ductor Romanis imperat armis,
Ille Deum & Chriſtum colit, & bella inter & arma
Virtuti docet eſſe locum; tu conſcius illi,
Ille tibi, pietatem ambo, Chriſtumque coletis,
Et vincet pro vtroque Deus. Vade optime fili,
Te Clementis amor, lachrymæque & vota ſequentur.
Tu ſi Clementem redamas, par nobile fratrum
Aulæ adſcribe tuæ, matrem amiſere, patremque
Infantes, pater ipſe fui, amiſſoſque parentes
Suppleui, vt potui tutor, tu vtrique patronus
Clementem ſupple, & patrem, ſit ephœbus vterque,
Aut famulus Placido; deinceps donabis vtrumque
Clementis munus, pandet myſteria tempus.
Mira refers, inquit Placidus, dic denique frater,
Quis Placidi nomen Clementi, ignotaque fata
Prædixit? qui fata facit, reſpondit Ariſtus
Hic Placidi nomen docuit; dic denique Ariſte,
Quis tandem finis vitæ, quæ meta laborum,
Exiliique fuit? reducem quæ terra recepit?
Excepit viuum pelagus : Reſpondit Ariſtus,
Trajanus

rajanus proſcriptum hominem quòd Numina Romæ
rgueret, Numenque vnum, trinumque doceret,
ıxinis damnauit aquis, verum obuia turba
elituum celſa excepit de rupe cadentem;
ırs animum erexit ſurſum, cæloque locauit,
rs membris ſubſtrata ſacris Pæana canentes
iuiſere ſinum pelagi, mediaſque per vndas
ɔrentem ſtrauere viam, loculoque repoſtas
:lliquias, ſacro læti incluſere ſepulchro,
e dubites, ſecto de marmore viſitur ædes
obilis arte noua, & geniis erecta miniſtris
ɔparet mediis trames ſecurus in vndis,
urus vtrimque mare eſt, nec murus vtrimq; timetur,
Clemens toto colitur ſacra anchora ponto.
Admirans Placidus plura explorare parabat.
ce tibi eous curſor properare phalanges
b Lepido ductore monet, Placiduſque Metello
ıperat vt Lepidum, ſocioſque ſalute benignâ
cipiat, caſtriſque locum deſignet apertis.
Iamque tubæ & litui mixto clamore per auras
ajanum, Romamque ſonant, Placidumque ſalutant.
:c mora, procedens Placidus, Lepidumque, duceſque
ɪpleċtens, omnes laudat, numeratque cohortes,
turmas, equitumque alas: ſpectator Ariſtus
es Iuuenes Placido nutu deſignat, Auorum
ɔgeniem Regum quos ſtella præambula duxit
nati præſepe Dei, generoſa palæſtra
ıjeſtas innata oculis, grauitaſque modeſta
ſcio quid regale notant, hos voce benignâ
atus Placidus, fratres noui, inquit, auitam
ıiorum, veſtramque fidem, quem creditis ipſi
edo vnum trinumque Deum, Chriſtumque ſalutis
thorem, infantem veſtri videre parentes,
ſit eos puer, & donis cæleſtibus auctos
econes fidei fecit, Verbique miniſtros,
quos ad ſtabulum ſtellâ præeunte vocarat,

Ire

Ire per eoas iuſſit noua ſydera terras,
Et vos ſtellæ eſtis fidei : Interrupit amicum
Alloquium velox Varronis nuncius, vrbem
Carrenſem dominæ tandem ſe ſubdere Romæ
Spondentem, præſens Placidus ſi fœdera iuret.
Tres Iuuenes auidos certaminis ire volentes
Admiſit Placidus ſocios, belliqúe ſodales.
Dum lætum properatur iter de gente Magorum
Multa rogat Placidus, qui Reges? qualia regna?
Quos populos ataui Reges? quæ regna tenerent?
An ſocij, an fratres, an ſolo fœdere iuncti?
Vnde illis nota aſtra poli, ſoliſque meatus?
Lunaque, mutanteſque vias, ſedeſque planetæ,
Naſcenteſque nouæ ſtellæ, morientiaque aſtra,
Præſagæque faces, natique ad fata cometæ?
Quis ſolem, & ſtellas, Chriſtumque ex Virgine natum
Edocuit, ſtellæque viam per inania fecit?
Quis genius ſtellam obſcurum deduxit ad antrum?
Quis puerum oſtendit ſtellæ, ſtellamque puello?
Quis docuit puerum eſſe Deum, cui ſtella priori?
An ſimul eſt oſtenſa tribus? quis munera dixit
Æterno donanda Deo inter tempora nato?
Quod fatum ſtellæ, an Reges ad regna reduxit?
An vicibus perfuncta ſuis ſe reddidit aſtris?
An excluſa polo tenues euaſit in auras?
Quos populos Reges ad Chriſti ſigna vocarunt?
An Regum hæredes viſæ miracula ſtellæ
Crediderint viſumque Deum: Vos regia proles
Creditis; ô Chriſtum totus ſi crederet orbis!
Hæc Placidus, juuenes de Româ, & Cæſare multa,
De Chriſto maiora petunt, gladiuſne cruentus,
Armatæque rotæ gladiis, diræque cataſtæ,
Flammæque, & crates ignitæ, oleumque, piceſque
Ceſſarint? O ſi hanc pugnam pugnare liceret?
Quàm læti ſæuos nudi rueremus in vrſos,
Diroſque aprorum dentes, vngueſque leonum
Victores

ctores ſimul, & pulchro certamine victi.
›c bellum reduces olim docuêre parentes,
ınc mortem voluere mori. O ſi hæc fata licerent!
Exciuit Placido lachrymas hoc nobile votum,
nos hæc olim forſan ſacra bella geremus,
ncimus armati, forſan vincemus inermes.
Interea velox præcurrens nuncia fama
l bellum, aut pacem Placidum aduentare monebat,
mque propinquabat caſtris, ſuſpenderat arma
t miſeræ fortunam vrbis, datus obſes ab vrbe,
›erabat veniam Varro ſi Carra rogaret.
Vt Placidus vidit ſucceſſos ariete muros,
ndentes turres, & collabentia tecta
urorum labes, inclinataſque ruinas,
ilicet ingemuit caſum miſerabilis vrbis,
djuuit luctum Varro, adjuuere Tribuni,
ſe etiam miles fleuit, veniamque popoſcit,
t deplorauit quas fecerat ira ruinas.
Extorſit veniam Tarræus nomine dictus,
obilis orator Tarræ de ſanguine cretus,
brâmique nepos; Heroum maxime, dixit,
udi infelicis vota, & ſuſpiria Carræ:
arra ſoror quondam Romæ, & penè altera Roma,
unc qualis ſim Carra vides, non perfida Romæ,
on ingrata fui, Parthi fortuna fefellit,
›ſt Craſſi infandam cladem quem excludere muris
on potui, admiſi dominum intra mœnia Parthum,
t Parthi captiua fui, ſeruire coacta,
ec dominas vrbis claues, nec munia geſſi:
le hoſtis Romæ portas & mœnia clauſit;
quid ego per vim nolenſque, timenſque peregi,
eccauit Parthus quidquid peccare coëgit.
ualis eram clades olim Romana probauit,
ictorem portis Craſſum, victumque recepi:
unc quoque cùm primùm licuit Varrone iuuante
lœnibus excluſi Parthum, Romamque recepi,

Et fidei teſtes deuotas offero claues,
Da veniam miſeræ, & Carram ne perde fidelem,
Roma fui, liceat Carræ Romæ eſſe clientem.
Parco, inquit Placidus, Tu claues accipe Varro,
Præſidiumque vbi geminas impone cohortes;
Tu Tarræ nepos, & magni ſanguis Abrâmi
Iudiciis Præfectus eris, Princepſque Senatus,
Abramidem gentem veneror, proauoſque, patreſque,
Cognatumque Deum, tu frater regia proles
Numen ama, dignumque Deo te finge Nepotem.
Dum redit Æmiliam Æneas inuitat ad arcem,
Dedendam ſi Cæſar adeſt, hunc poſcit honorem
Præfectus Lycidas, vt famam hac protegat vmbrâ,
Trajani tu ſponſor eris, pro Cæſare Cæſar.
Vt Placidus vidit ſurgens ad ſydera caſtrum,
Saxaque, & ingentem fundantem mœnia rupem,
Non homines, inquit, non ars hæc mœnia ſtruxit,
Erexit molem natura potentior arte,
Naturæque Author, non huic Tarpeia rupes,
Non alia eſt toto moles æqualis in orbe.
Sed quis præruptam primus penetrauit in arcem?
Quis manibus, pedibuſque iuit, ſaltuque volauit?
Ille Aquilæ, hic labarum præferre meretur Alaudæ.
Vt Placidum inſonuit lituus, nomenque vocauit
Cæſaris, exſcendens altâ Præfectus ab arce,
Trajanum pronus venerans, Placidumque ſalutans,
Orauit veniam ſupplex, & tradidit arcem.
Laudauit Lycidam Placidus, caſtrumque recepit,
Euertendam arcem belli fortuna volebat,
Seruauit natura locum, bellumque fefellit:
Mutauit nomen Placidus, Placidamque vocauit:
Æneas caſtro iuuenem præfecit Iulum.
Enumerans Placidus menſes, horaſque, dieſque,
Præcurrebat iter Bruti, venientiaque arma,
Et ductor ductoris erat, vix Æmiliam arcem
Progrediens modico dimiſerat interuallo.

Ecce

.cce Nepos Bruti, curſu feſtinus anhelo,
.omanas Aquilas armato incedere greſſu
Iuntiat, & Brutum Romanam optare ſalutem.
gnouit iuuenem Placidus, Brutique Nepotem,
t patriis meritis Romanum impendit honorem.
oſt numeratam aciem Bruti, Proceresque, Duceſque,
ræfectoſque alis equitum, peditumve cateruis,
djungit Bruto Nouium, & complexus vtrumque,
:e, ait, & Bruto multam impertite ſalutem,
)icite deuictas Carras, arcemque ſuperbam
Emiliæ, & ſolis auibus penetrabile caſtrum.
Expectat Brutum ſociæ Regnator Edeſſæ;
Iox ego Romanas acies, & caſtra reuiſam,
t junctis magnum Tygrim ſuperabimus armis.
ımque ibat Placidus, Procerumque armata corona
'ircumſtans medium pendebat ab ore loquentis,
)uale examen apum Regem circumſtat euntem,
.egius auditur bombus, tacet aulica turba,
.ex medius nutu, & geſtu, & vocalibus alis
lloquitur ſocias volucres, auditque loquentes;
pplaudunt illæ pennis, humilique palæſtrâ,
t geſtus placet, & gratæ reuerentia plebis.
Trajani laudes Placidus, meritoſque triumphos
'arrabat, captas vrbes, genteſque ſubactas.
Vidimus, aiebat, medios volitare per hoſtes,
ugnantemque manu, & voce, exemploque iubentem.
Iiles erat, ductorque ſimul, non augeo facta,
t vidi, teſtiſque fui, Mars fabula vatum eſt,
:cit Trajanus, mendax quod fabula finxit,
Iec minor Auguſto eſt, & magno Cæſare maior,
ddebat Placidus geſtis maiora gerenda.
Ibit Trajanus quò nec Macedonius Heros,
Iec domitor monſtrorum iuit, liberque Lyæus,
Iec veteres iuêre Dij: dum dicere plura
pparat, & laudes pergit narrare futuras,
ælius è caſtris veniens vbi Parthia Craſſum

Incluſit, Romamque dolo non robore vicit.
Euerti turres, inquit, muroſque rebelles,
Suffodi cuneos & fundamenta reuelli,
Et craſſi, & victæ deleui opprobria Romæ,
Sola humus, & ſtagnum ſupereſt nidorque paludis,
Hanc quoque purgaui flammis, plantaſque cremaui,
Nec ſupereſt aliquid Craſſi, niſi fama ſepulchri,
Et fallax natura loci, nomenque paludis.
Obſeſſam Placidus Bauium mandarat ad arcem
Rupellæ, vt pugnas hominum, geniumque locorum,
Progreſſum, belliquè ſtatum, finemque referret.
Vidi, ait, impacto ſuccuſſos ariête muros,
Vidi corrumpi rupes oleoque, & aceto,
Vidi diſcuſſos lapides, & hiantia ſaxa,
Vidi ſcandentes iuuenes, & penè volantes
Ire illuc quò vix alatæ ivere volucres;
Fabula ſunt vatum oppugnantes aſtra gigantes,
Quod vidi leuium ſuperat mendacia vatum.
Stare diu caſtrum nequit, & iam forte ſubactum eſt,
Et fortis rupella ruit de marmore puluis.
Affines Regum juuenes, & laudis amantes
Mouit amor belli, & veniam, pugnamque rogabant.
Laudauit iuuenes Placidus, pugnamque negauit,
Et Fauſtino omnem belli ſeruauit honorem.
Miſerat ad Regem Brutus, qui nomine Romæ
Oraret per regnum aditum ad gentilia caſtra.
Reſpondit Bruto magnæ Regnator Edeſſæ
Se Romæ ſocium, & iurato fœdere amicum,
Edeſſam Romæ famulam, regnumque patêre,
Et Brutum, & magnos proauos ſibi nomine notos.
Iamque Helenus Princeps ad primi limina regni
Obuius amplectens Brutum, ſocioſque ſalutans
Duxerat ad Regem, mox tota occurrit Edeſſa,
Et Romam litui reſonant, Brutumque ſalutant.
Adueniens & iam magnæ vicinus Edeſſæ
Euſtachius, dominæ clamari nomina Romæ

Audit,

dit, & accurrens Regem blando ore ſalutat,
:roëm deinceps Helenum, dominaſque puellas,
ım Brutum amplectens,proceresq; ex ordine cunctos
ılatâ prendens dextrâ de Cæſare multa
Româ, Europâque rogat: Dum gaudia miſcent,
ce tibi Rutilus properans ex vrbe Seleuci
:pugnatam vrbem, ponteſque & flumina narrat,
Ingentes, inquit, circum caua mœnia foſſas
ıximus, & plenas fluuio multâ arbore cæsâ,
;geſtiſque ſupra lignis compleuimus aluêum,
ptiuaſque intra ſyluam concluſimus vndas:
r medias miles glebas, denſataque ligna
ɔgrediens, inter lapides, iactataque ſaxa,
fuſamque picem, flammæque ardore rubentem,
.ulſoſque inter muros,montemque ruentem,
ıpoſita ſub vite latens ad mœnia ſenſim
repens,nitenſque manu, pedibuſque,humeriſque,
:adit ſenſim ſupra, pinniſque ſubactis,
:ſiſque excubiis ſomno, vinoquê ſepultis,
:ollenſque manu ſocios per hiantia ſaxa,
ɔeſque, & rimas muri ad ſublimia vecti
ſcendunt taciti, & mediam voluuntur in vrbem,
ɔx igne applicito clauſæ intra mœnia portæ
miſſus miles mediam ſe infundit in vrbem,
icitur domibus flamma, & pendentia tecta,
ſiccas domuum portas, tenueſque feneſtras
rripit, & totâ ſæuit Vulcanus in vrbe.
fragor, euigilant ciues, iuueneſque, ſeneſque,
na citi, ferte arma monent, ſed dum arma feruntur,
rripit armatos ignis, properatur ad vndas
minis, & flammas auget, non obruit vnda,
tur vrbs geminis fluuiis, & ponte ſuperba,
tur impoſitus mediis pons nobilis vndis,
ſubterlabens, niſi curreret, vnda periret.
Ꞁerritus aufugit Parthus, pontemque reliquit,
vacuæ tutelam vrbis. Seruauimus arcem,

Militeque impoſito vacuam dimiſimus vrbem.
Laudauit Placidus Rutilum: Rex pauca locutus.
Nunc armis Trajane tuis patet orbis Eous,
Nunc Indus patet, & Ganges orbiſque remotus.
Ire licet quò nec Reges iuere priores,
Et quò non iuit laudati fabula Cyri,
Plus vltra Trajane ibis, niſi fata reſiſtant,
Aut voluit qui fata Deus: nox otia ſuadet,
Cras acies noſtras veſtris ſociabimus armis,
Vna erit, & duplex acies, exercitus vnus,
Tu Princeps magno fies ſub Cæſare miles,
Et Placidus Trajanus eris ſub Cæſare Cæſar.
Dum labor & feſſos ſopor anxius occupat artus;
Ipſe quoque Euſtachius curarum pondere feſſus
Dormitanſque, animo voluebat fata futura:
Ipſe etiam ſomnum captare videtur Ariſtus,
At mens exuto fictæ velamine carnis
Euolat ad cælum, geniiſque adjuncta beatis
Commiſſi mores narrat, vitamque clientis,
Et ſermo placet, & cuſtos laudatur Ariſtus,
Venturos deinceps caſus, ſorteſque futuras,
Fortunæque orbem videt, & venientia fata,
Voluentemque Deum, cæloque aſſuetus & aſtris
Æternis plenus curis, nec tempus & horas
Enumerans, carique oblitus pene clientis,
Guſtabat pleno ore Deum, fontemque bibebat.
Admonitus tandem ſuperis feſtinus ab aſtris
Deuolat, & carnem exutam, corpuſque reſumens,
Et pulsâ ex oculis Placidi caligine noctis.
Audi, ait, euentus rerum, decretaque fata,
Educ ex mediis hodie tota agmina campis,
Et triplici ſtratum tabulato trajice Tygrim.
Trans Tygrim Heniochi Regis dilectus Hydaſpes.
Obuius agminibus noſtris ſocia agmina junget:
Heniochum Clemens luſtralibus abluit vndis,
Et geminos illi nuper donauit alumnos
Tradendos

'radendos Placido, Princeps admiſit Ephœbos,
'u belli ſocios, comiteſque admitte fideles,
!us aliquid facies olim, tunc cætera diſces.
Iamque Helenus Princeps aciem educebat Edeſsâ,
m Romana acies caſtris exibat apertis,
rma omnes, arma, arma tubæ, lituique ſonabant,
rmati frænantur equi, ſpumantque, furuntque,
atoque ſolum pulſant pede, frænaque mordent
urea, & abſentem proculcant calcibus hoſtem:
ımque duces per caſtra volant, pediteſque, equiteſque,
t turmas, alaſque locant; Euſtachius armis
ıſignis, qualis primo ſors ſurgit ab ortu,
: ſe viſendum toti communicat orbi,
: toto jacit ore diem; tali aſpicit ore
duĉtas caſtris Placidus, numeratque cohortes,
iſponitque aciem vaſti lato æquore campi:
ſe tamen toto lectas ex agmine turmas
brami, Lothi, & Flori, iuueneſque Sabæos,
:que Arabes lateri & dextræ iubet eſſe propinquos,
ıgnaturi omnes magnæ pro nomine Romæ,
: pugnaturi ſacro ſub nomine Chriſti.
Miſcuerat Princeps Helenus patria agmina Romæ,
t ductor Romanus erat, iamque ire parata
gmina, ſic Placidus verbis affatur amicis.
O ſocij quales video, admirorque phalanges!
as acies ſi tu Cæſar Trajane videres,
ollectum ſub te mundum pugnare putares;
as acies dum Perſa ferox, Parthuſque videbunt,
incentur nondum victi: macti ergo ſodales,
incemus ſolo aſpectu; fugientia terga
m video, hæc illis ſupereſt ſpes vna ſalutis:
t non effugient vrbes, arceſque ſuperbæ.
aș armis, vacuaſque viris ſpoliare licebit,
m noſtra eſt Niſibis, Teſiphon, & Regia Suſæ,
ic tandem pretioſa quies, & meta laborum,
:ic honor & merces, huc te Trajane vocamus,

Hinc tecum ad Gangem, & magnum penetrabimus, Indum;
Hinc ad naſcentis tecum cunabula ſolis
Ibimus, occiduum reduces veniemus ad orbem,
Et noſter ſol totus erit.
Iamque acies ducibus greſſum moderantibus ibant;
Et greſſus numeroſus erat, non pulchrior ordo
Militiæ cæli, ducibus ſub ſole planetis,
Æquali fixæ procedunt ordine ſtellæ,
Nec moles diuerſa nocet, maiorque figura,
Aut minor, errantes variato calle planetæ,
Lege tamen conſtante fluunt, quod nobile dictu eſt;
Sol abſens leges dicit gradientibus aſtris,
Et tu abſens Trajane præes, ſupplentque miniſtri,
Et ſplendent de luce tuâ.
Iam Tygris vicinus erat, fluctuſque ſuperbi
Fluminis irati ſpumâ albeſcente tumebant,
Tergemino Placidus diuiſas ordine turmas
Tranſire, & fluctus fluuij calcare tumentes
Sub pedibus jubet, & ſpumas ridere ſuperbas;
Nec procul audito tumidarum murmure aquarum
Turbari tantiſper equi, ſed voce magiſtrâ
Seſſorum, doctaque manu, frænisque ſubacti
Inſuetas ivere vias, Tygriſque furoris
Impatiens voluit ſuccuſſum abrumpere pontem,
Et ſæpe impulſi tremuere repagula pontis,
Sed ſtetit, & ſaluæ fluuium vicere phalanges:
Et Tygris tolerauit onus, Romæque pepercit.
Tranſmiſſo miles fluuio ad vexilla redibat,
Hoſtileſque ingreſſus agros iam bella parabat,
Et varij bellum litui è regione ſonabant,
Hæc erat Euxinas acies collecta per vrbes,
Hanc, inquit Placidus, Ponti Regnator amicus,
Heniochus Romæ dudum promiſit amicæ,
Et nunc hæredem regni delegat Hydaſpem.
Dixerat & velox aciem præuertit Hydaſpes,
Occurrit

:currit Placidus, tactæque dat oſcula dextræ.
: Rege inquirit Placidus, de Cæſare Hydaſpes,
currunt proceres belli, dextriſque prehenſis
lices optant annos, multamque ſalutem.
Inte alios Princeps Helenus cum Principe Hydaſpe
terni iurant æternum fœdus amoris.
Placidus rerum euentus, caſuſque futuros
ecipiens animo, & bellum, pugnaſque futuras,
llectaſque acies placido ſic admonet ore.
Arbella, ô ſocij, famoſis inclyta pugnis
ɔs Arbella vocat, Perſis Arbella domandis
alis campus; Darium vbi Græcia vicit,
Soli, & Mithræ imperium præſcripſit eoum,
nunc Trajano minor eſt Macedonius heros,
c rerum dominæ par eſt Macedonia Romæ:
tiri vires, & bellica munia præſtat,
a erit, & plures acies: Tu frater Hydaſpes
ferat auxilium Parthus, Meduſque vetabis,
ıue ipſas prohibebis aues; tu Rector Edeſſæ
xtram vrbis partem vallabis, & aggere cinges.
s Arabes partem læuam, iuueneſque Sabæi:
; mediam Romani vrbem, vos mœnia circum
oces equites venientem arcebitis hoſtem:
uſos ter mille equites Arbella coërcet,
ue vtinam plures, vnâ obſidione periret
uſi fortuna orbis ſub vindice Roma;
ti igitur ſocij, præſentem Arbella ruinam
timet, & clauſus pallet formidine miles.
Hæc ait, & lætus miles, proceresque, duceſque
elerant iuſſos certatim implere labores.
nterea Placidum paucis affatur Hydaſpes:
nani Clemens cuſtos & paſtor ouilis
lixam Placido poſcit, mittitque ſalutem,
patrem & natum tinxit luſtralibus vndis,
fidem, nomenque tuum, & miracula dixit,
tibi hos fidei geminos commendat alumnos,

Et genus, & quondam patriam fortuna docebit,
Magnum aliquid ſpondet pietas, expertaque virtus,
Et Clemens fidei teſtis, morumque magiſter.
  Cui Placidus, nota eſt, inquit, mihi vita, fideſque
Clementis, cauſa exilij, miracula fontis,
Sanati morbi, & quamuis miracula abeſſent,
Succeſſor Petri eſt, & lingua vicaria Chriſti,
Nec fari niſi vera poteſt, & tu quoque Princeps
Non viſus mihi notus eras Clementis alumnus:
Ille tibi hos iuuenes aulæ donauit Ephœbos,
Et juuenes placuete tibi, nobiſque placebunt.
  Aſpexit pueros Placidus, nec pignora nouit,
Et pueri viſum non agnouere parentem,
Vtrumque armatum turmæ præfecit equeſtri.
  Tranſmiſſum interea Tygrim Præfectus Iarchas
Vt ſciuit, bellum prudens conjecit, & vrbem,
Arcemque, & portas muniri, & mœnia iuſſit,
Mox Parthum attollens verbis, Romamque laceſſens.
  O ſocij, & ciues bellum præſumite dixit.
Hoſtis adeſt, non arma tamen, nec bella timete;
Arbellam Roma imprudens inuadere tentat,
At ſemper Romæ lugubre Arbella ſepulchrum,
Et probrum, fatumque fuit: non ſi integer orbis
Occiduus, non ſi præſens Trajanus adeſſet
Vinci Arbella poteſt; nec tela ignota timemus,
Nec muri tormenta timent, nec fulmina turres,
Ad pugnam res nulla deeſt, hoſti omnia deſunt,
Nec pugnare opus eſt, pro nobis omnia pugnant,
Et locus, & natura, licet dormire quietis,
Supra fortunam ſumus, & mortalia fata.
Macti animo, ſocij, Craſſum fortuna fefellit,
Et Craſſus Trajanus erit. Dum verba ſuperba
Audaceſque minæ mediâ iactantur in vrbe,
Accelerans miles tacitus tendebat in vrbem,
Et iam tectus humo, & ſulcis quos foderat ipſe
In gyrum, varioſque orbes, flexuſque, receſſuſque

Ad

dextram & læuam, & vallo, muroque propinquans,
gnantem circum interfuſo flumine foſſam
ecta complens ſylua ſubſtrauerat vndas,
ſolidum fundabat iter; nec ſegnius hoſtis
ulſos muris lapides, & ſaxa ruebat.
rnebant hæc ſaxa vias, hoſtique nocebant:
go ignes, tædaſque rotant, piceataque tela:
miles pluteo tectus nec tela, nec ignes,
c lapides, & ſaxa timet, muroſque cadentes.
Mox humeris aries ingens ad mœnia fertur,
aroque impactus repetito verbere rimas,
plagas facit, auelluntur hiantia ſaxa,
murus per fruſta ruit, lapidumque ruina
inas terræ partes, parteſque remotas
cutit impellens, ſuccuſſaque terra tremiſcit:
umbens terræ moles ſubſidere ſenſim,
fundamenta, & paries, & tecta domorum,
mutant elementa locum, nec corruit vna
s vrbis, totum fatalis machina murum
rberat, & totus laceratur verbere murus.
te alia iuuenes ter centum emittit Iarchas
lis deformis vultus, monſtroſaque forma,
luti chalibe, & ferro, coctoque metallo
unanam ſpeciem veſtis fallebat ahena.
Nec mora, dira cohors greſſu, ſaltuque ſuperbo
anſgreſſa objectam foſſam, vallique coronam,
poſitas vallo turmas ſubito impete pellit;
s armata manum jaculis ferit eminus hoſtem,
s bifidis corpus gladiis, & acinace figit,
s vtraque manu contos, longaſque fariſſas
pellens geminos vno tranſuerberat hoſtes
lnere, pars armatæ impingit verbera clauæ,
Interea è muris telorum examina miles
certos ſpatij fines jaculatur in auras,
pulſu exhauſto languentia in aëre tela
ojectos recidunt natiuo pondere in hoſtes,

D 6 Et

Et circumfuſas lædunt cæco impete turmas.
Quod grauius naphte plenas, & ſulphure tædas
Ex arce, & muris medias jaculantur in auras,
Impulſu impreſſo, motuque accenditur ignis,
Rumpitur includens teſta & fragmenta per auras
Diſſiliunt, mox lapſa cadunt, vruntque cadendo,
Et totis latè miſcent incendia caſtris.
Turbauit Romanam aciem noua bellica pugna,
Arma noua, agreſteſque ſudes, longæque ſariſſæ,
Et bifidi gladij, cæloque cadentia tela,
Et quidquid mors eſſe poteſt: certamine primo
Vulneribus læſi multi, ſudibuſque præuſtis,
Et bifidis gladiis per hiantia viſcera fixis
Spirantes tamen,& fixum trans ilia ferrum
Dextrâ auellentes fato periêre ſuperbo:
Pugnauere alij lethali vulnere fixi,
Viceruntque hoſtem victi, & poſt funera viui.
Vt ſe collegit miles, vireſque recepit,
Vibratos ex arce ignes, projectaque tela
Objecto excipiunt clypeo, flatuque ſonoro
Auertunt aliò, volitant per inane ſagittæ,
Et flammæ, & pulchro ludunt per inania ludo,
Effringunt alij contos, rumpuntque ſariſſas,
Et gladiis pellunt gladios, atque enſibus enſes.
Vt ſonitum audiuit Placidus, flammaſque volantes
Per medias auras, & tela errantia vidit,
Protinus auxilio accurrit, Floríque cohortem,
Et geminas equitum turmas, fidamque cateruam
Adducit pugnæ comitem, portamque patentem
Occludi iubet, & cæſis cuſtodibus arcis
Subſtituit vigiles alios, celereſque fideles,
Qui portam obſeruent, excludantque hoſtibus arcem.
Mox equitum,& peditum turmas immittit in hoſtẽ,
Circumdant equites agmen, ſimul impete facto
Irrumpunt medium in cuneum,turbantque, fugantque,
Impellunt, pulſique cadunt, calcantque cadentes.

Iratus

Iratus Sonipes ſpumat, furit, & pede, & vngue
Proterit, & patulo ſpirantes deuorat ore:
Lædit eques, laceratque artus, & membra trucidat.
At pedites haſtis, gladiis, bifidaque bipenni
Obtruncant, cædunt, mactant, nec parcitur vlli,
Euadunt pauci, collectique agmen in vnum
Expectant hoſtem, & contis, longiſque ſariſſis
Excipiunt, & non omnes moriuntur inulti.
Ac velut obſeſſus canibus, rabidiſque moloſſis
Sæuus aper ſpumat, mordet, frendetque, furitque,
Et vinci impatiens tandem ſe carcere claudit
Anguſto, denteſque acuens, & ſpicula mordens,
Et ferrum, qua parte poteſt, vlciſcitur hoſtem,
Et victus tandem vitam inter vulnera ponit.
Sic Parthus moritur.
Miſerat interea Arbellæ Præfectus Iarchas
Ad Reges aſſuetam arci, cicuremque columbam,
Subque alis ſchedam tremulis hoc carmine ſcriptam.
Tertia lux arcem tradet, niſi pellitur hoſtis,
Et pelli, vincique poteſt. Dum incauta volucris
Per medias auras ludentibus euolat alis.
Ecce tibi explorans campos, atque aëra miles,
Omniaque obſeruans circum pendentia fila,
Sub pennis volucris videt, emiſſaque ſagitta
Attingit pendens filum, parcitque volucri.
Territa auis ſonitu, filoque implexa ſagittam
Excutere annitens tandem cadit obuia præda;
Captiuam prendens miles, luſtranſque, ſub vmbra
Alarum ſchedam videt, inſcriptaſque figuras,
Et Placido defert: amplexans ille columbam
Captiuam, & collum mulcens, alaſque reuoluens
Scripturam legit, & ſchedam, & fallentia verba
Suſtituit pennis. *Succurrere non licet vrbi,*
Reddite, ne noceant fractos euertite muros.
Dum redit, emiſſa ad Regem manſueta columba,
Obſeſſus miles lapides, & ſaxa, trabeſque,

Et

Et quidquid telum eſſe poteſt jaculatur in hoſtem,
Scandenteſque manus, humeroſque à mœnibus arcent.
Irrident iras Romani, injectaque tela
Objectis contia clypeis, ſcutiſque repellunt.
At Placidus muros indefeſſo ariete pulſat,
Et lapides, & ſaxa ruunt, auulſaque terra,
Iamque vrbem, laceramque arcem nulla oſtia claudunt;
Et miles ſignum expectat penetrare paratus.
Ante tamen Placidus captam iubet ire columbam;
Poſt geminos cum ſole dies: emiſſa columba
Arbellam redit, & captiuas explicat alas.
Accurrunt omnes, vbi ſchedam euoluit Iarchas,
Hæc legit: Obſeſſæ ſuccurrere non licet vrbi.
O ſocij, obſeſſæ ſuccurrere non licet vrbi,
Reſpondent Reges, hæc fert reſponſa columba.
Vitam ergo ſeruare licet, ſeruauimus vrbem,
Dum licuit, vitam ſocij poſuere trecenti,
Pugnatum eſt, vacuam telis exhauſimus vrbem,
Et ſaxa, & lapides, terramque & viſcera terræ,
Et muros, & penè ipſam projecimus arcem:
Omnia nunc nobis deſunt, & mœnia, & arma,
Vrbs vrbi penè ipſa deeſt; projectus ab hoſte
Ignis ſulphureus, turres, arceſque domoſque
Corrupit, domuumque trabes, impoſtaque tecta,
Deſunt nunc domibus ciues, & ciuibus ædes,
Victori cædes & præda patemus inulta,
Dicite quis ſenſus vobis, ſi ſanguine noſtro
Seruari ciues poſſint, moriamur amici,
Præclarum eſt pro ciue mori; ſed vita ſuperſtes
Si prodeſſe poteſt, nec vincere poſſumus hoſtem,
Viuamus victi, & pacem, vitamque petamus.
Aſſensêre omnes, pacem à victore petendam.
His dictis, ſeptem ciues delegat Iarchas,
Qui vitam à Placido libertatemque precentur.
Hanc, inquit Placidus, victrix Arbella negaret,
Et Craſſo Parthus ſuperato vtramque negauit;
Vtramque

Vtramque hanc dono, miles diſcedat inermis,
Arbellæ ciues viuant ſub Cæſare tuti.

LIBER QVINTVS.

SYNOPSIS Libri Quinti.

DVM tres Reges Arbellam pergunt, vt eam ab obſidione liberent, Iarchas vrbis Præfectus occurrens Regibus Arbellam poſt acrem defenſionem captam nuntiat. Iratus Rex Aſtyages Iarcham obtruncat, & ſocios Iarchæ ab exercitu occidi imperat, iamque acies vtrimque in conſpectum venerant: Aſtiages ſuos ad certam victoriam, Placidus ſuos hortatur ad pugnam; ante pugnam permittitur velitatio duorum vtrimque Iuuenum. Theopus & Agapus duo Placidi liberi, ſed adhuc incogniti ſuperant geminos æmulos, Medargem & Ragem Parthos. Poſt hanc velitationem inchoatur prælium à Belluis: Ramirus elephantum ſuperat, Alexis leonem, Diorix vrſum. Irati Reges

ges imperant ſagittarum pluuiam, quæ primo impetu milites turbant, deinde clypeis, & ſcutis excipiuntur à milite, & ferè ridentur; ſub hanc jaculationem prouocatur Trajanus ab Aſtyage ad certamen ſingulare, ſupplet abſentem Trajanum Placidus, & armis Aſtyagem exuit; Hydaſpes Arſacidem Regem Perſarum lædit & capit; Phraates Rex Medorum inſequentem Helenum reflexo enſe lædit, & ab Heleni ſociis capitur. Pugnatur deinde acriter ab vtroque exercitu: poſt acrem pugnam fugatur triplex Regum exercitus; denique Teſiphon vrbs regia deditur, Placidus vni Deo victoriam tribuit.

LIBER QVINTVS.

IBANT Arbellam Reges, Regumque phalanges,
Obſeſſamque vrbem, vallataſque aggere foſſas,
Muriſque oppoſitos muros, atque arcibus arces,
Ridebant, ſoloque audito nomine Regum
Caſuras terræ moles, valloſque putabant.
Nec pugnam, aiebant, caſtris tentare relictis
Audebunt Craſſi memores, cladiſque receptæ,
Si tamen expectent Reges, & prælia tentent,
Sola trium Regum Romam præſentia vincet.
Hæc dum ventoſi iactant, occurrit Iarchas,
Et miſeræ ſortem Arbellæ, & lugubria fata
Nuntiat, & lachrymis loquitur: Pugnauimus, inquit,
Dum vires natura dedit, ſuperauimus artem,

Et quidquid natura docet; lapideſque, domoſque,
Et turres, & penè ipſam projecimus arcem,
Et quidquid telum eſſe poteſt, nec fugimus hoſtem,
Et fugit nos ſæpe hoſtis, per ſpicula & haſtas,
Tela per & nudos enſes, fractaſque ſecures,
Per flammas, medioſque ignes inuaſimus hoſtem,
Et primos, medioſque hoſtes, totaſque cohortes
Fregimus, & poterant hoſtilia caſtra fugari,
Et vinci Romana acies, ſi victor adeſſet,
Sed numerus paucos vicit non æmula virtus,
Milleni infirmam bello ſeruauimus vrbem,
Et vallum, & murus fuimus, periere trecenti
Dum totam inuadunt aciem, pars cætera languet,
Illæſus nemo viuit, dum nulla ſalutis
Spes ſupereſt, cicurem emiſi per inane columbam,
Quæ miſeram Arbellæ ſortem, fatumque doceret,
Et celerem imploraret opem, reuocata columba
Reddite, ſub tremulis hoc verbum reddidit alis.
Imperiis ergo veſtris exceſſimus vrbe
Inuiti, & cineres vrbis dimiſimus hoſti,
Id ſolum Romanus habet capta vrbe ſuperſtes
Arbellæ cineres.
    Vt captam Aſtyages Arbellam audiuit, Iarcham
Ore truci aſpectans: Ergo, inquit, proditor hoſti
Donaſti Arbellæ cineres, hoc enſe peribis,
Et cinis, & Parthis fies infame cadauer,
Et vos Præfecti ignauam mactate cateruam,
Et Parthi & Medi diſcant, Perſæque fideles,
Vincendum, aut vitam probroſa morte piandam;
Pergamus Reges, leuis eſt victoria Romæ
Infirmam cepiſſe vrbem, de finibus orbis
Pugnandum eſt, pendebit ab hoc certamine Roma,
Et victus cum Roma orbis: nec lentius irâ
Succenſi exclamant Reges, quænam illa ſuperba
Trajani ambitio Eoas ambire coronas?
Et vectigalem Romæ ſubmittere ſolem?

Sic

Vincendi nunc tempus adeſt, nunc publicus hoſtis
Regnorum prædo, mundique vtriuſque tyrannus
Vincendus, noſtroque procul pellendus ab orbe eſt.
Tutores eſtote orbis, ſoliſque patroni,
Sol noſter vult eſſe cliens, & ſubditus orbis.
Quid Romæ & nobis, quid in orbem Cæſar Eoum,
Et Placidus quid iuris habet, victuſque Lucullus,
Et Craſſus, Lepiduſque docent quid iuris haberent;
Vincamus ſolitos vinci, & ne Roma redire
Audeat, occiduo Romam vincamus in orbe,
Hæc pugna oſtendet Romam, & victoria ducet.
Tres Reges bello aſſueti cum milite pugnant,
Quid timeat ſub Rege cliens, ſine Cæſare pugnat
Romanus miles: vinci Trajane timebas,
Et tamen hoc probrum eſt, ne Rex vincatur abeſſe,
Præſentemque mori Regem cum milite laus eſt,
Omnia nobiſcum pugnant, elementa, Diique,
Naturæque author Mitras, authorque Deorum,
Et pugnam bruta ipſa iuuant, vrſique, leoneſque,
Et Romæ, & ſociis populis ignoti elephanti.
  Ite elephantorum domini, pugnate priores,
Attonitos turbate hoſtes, nos territa monſtris
Agmina cædemus gladiis, ferroque metemus.
Succedent vrſi audaces, magnique leones,
Diſcerpentque hoſtes timidos, morſuque vorabunt,
Nos ſpolia occidui mundi, Romæque legemus.
  At Placidus blando ſocios ſermone ſalutans:
Ergo, inquit, pugnare audent, pugnemus amici,
Et victos vincamus adhuc, hæc vltima pugna eſt,
Roma hodie mundum vincet ſi vincimus hoſtes:
Ignaros belli Reges, aciemque fugacem
Aggredimur, iaculis pugnant, leuibuſque ſagittis,
Et fugiunt timidi, & tergo non pectore pugnant;
Excipite emiſſas objecto vmbone ſagittas,
Haſtiſque & gladiis fugientia figite terga,
Immittent in caſtra feras, vrſoſque, leoneſque,

Immaneſque tygres, & prægrandes elephantos:
At vinci poſſunt elephanti, vrſique domari,
Et vos viciſtis tygres, ſæuoſque leones,
Virtutem monſtra ipſa timent. Macti ergo ſodales,
Vincite iam victos hoſtes, & vincite mundum;
Accelera Trajane viam, tibi mundus vterque,
Et Ganges, Induſque patent.
Dixerat, armatuſque elephas producitur ingens,
Impoſitum dorſo caſtrum, caſtroque capaci
Incluſam geſtans aciem, quæ tela per auras
Projicit in denſas caſu ruitura phalanges;
Aſpectans armatam aciem fera bellua barrit,
Et furit, & mortem irato clamore minatur.
Nec procul iratus leo cauda ſuſcitat iras,
Rugitque, & rictu, & plantis iam proterit hoſtem.
Nec longè ad cornu læuum producitur vrſus,
Luctari ſolitus, primiſque apprehendere plantis,
Et ſuffocatum diſcerpere dentibus hoſtem.
Vt vidit Placidus variarum monſtra ferarum,
Macti, inquit, ſocij, poſſunt hæc monſtra domari:
Vos Arabes, & vos herbas, plantaſque Sabæi,
Quoſque elephas horrere ſolet nouiſtis odores,
Hos vacuas ſparſim ſuccos iactate per auras,
Quos vbi guſtarit longo promulſidis ore,
Ebrius ad Parthos elephas, Medoſque recurret,
Et dominos olim Parthos, nunc proteret hoſtes.
Nec mora, vicinas implent ſuffitibus auras,
Haurit odorem elephas, & plenus odoribus hauſtis
Suſpirat, lentoque gradu celerique mouetur,
Ebrius, & dormit vigil, aut dormire videtur.
Hic te hoſtis Ramire vocat, tu interfice monſtrum,
Et plures victo monſtro ſuperabis in vno.
Obſeruans greſſumque feræ, motumque Ramirus,
Accedit ſenſim, & proboſcidem odore madentem
Vulnerat, & mediam ferro præſcindit acuto,
Scilicet euigilans depulſo bellua ſomno,

Et plagam planta attrectans, & ſanguine rorans,
Inſequitur fugientem hoſtem, laniare paratus
Vnguibus, & ſtratum irata ſupplodere planta.
Iamque tenebatur, ſed mutata arte Ramirus
Ingreſſus latebras vaſti ſub fornice ventris,
Extrema vaſtæ molis ſe protegit vmbra.
Intra hoſtem latitans hoſtis, tum corpore prono
Obſeruat geſtus omnes, motuſque elephantis,
Et ſequitur, parteſque agilis ſe voluit in omnes,
Defeſſus tandem pronis incedere membris,
Arrepto ſenſim gladio ferit ilia ventris,
Et ſecat, emiſſus lato de vulnere ſanguis
Effluit, & latè terram, pronumque colorat
Ramirum, languet tandem titubatque elephantus,
Ramirus caſum metuens, ponduſque ruinæ
Exilit, & molem impellit iam ſponte ruentem,
Sternitur, & procumbit humi, moriturque elephantus,
Incluſus dorſo miles ruit, armaque tradit;
Ramirus plauſu excipitur, plauſumque meretur.
Nec procul apparet ſæuus leo prælia ſpirans,
Hic loricatas cernens ex ordine turmas,
Et ſcuta, & clypeos, regales excitat iras,
Reneſque excutiens, & cauda terga flagellans,
Arrectiſque furore iubis, rictuque patenti,
Rugit, & inſuetos rugitu territat hoſtes,
Et Regem ſe voce probat. Quis ſtrenuus audet
Regali, clamat Placidus, contendere pugna?
Prodeat, & velox prodit generoſus Alexis,
Arrectaſque iubas colli, rictumque patentem
Aſpiciens, dextramque parans ſubito impete collum
Arripiens, gutturque premens, fauceſque patentes
Occludens, dextraque premens vitalibus auris
Intercludit iter, vitæque obtruncat hiatus.
Vt ſenſit leo ſe collo ac ceruice teneri,
Scilicet arrectis plantis aſſurgit in hoſtem,
Exertat dentes, vngueſque extendit aduncos,
Luctatur,

Luctatur, prenditque hoſtem, & proſternere tentat,
Et pugnat qua parte poteſt, ſed cautus Alexis
C[illegible]erſum retinet corpus, collumque, caputque
Ne noceat, dextraque premens, totaque ſiniſtra
Suffocat luctantem animam, mortemque timentem:
Deficiente anima, corpuſque & membra rigeſcunt,
Et languet ſenſim, & pallet, nutatque, tremitque,
Et caderet, niſi nutantem retineret Alexis;
Exhauſtum tandem, & ſenſu, vitaque carentem
Projicit, & caput abſcindens, haſtaque cruentum
Affigens, Parthis monſtrat regale trophæum,
Et poſſe ex haſta viuos pendere leones,
Victorem amplectens Placidus laudauit Alexin,
Laudauere omnes, litui cecinere, tubæque.
  Nec longè gradiens vrſus, patulo ore cruentos
Exertat dentes, & greſſu prouocat hoſtem,
Aſpiciens Placidum Diorix hunc poſcit honorem.
Noui, inquit, vires vrſi, fraudeſque, doloſque,
Fallam artes vrſi, nec me fera bellua fallet.
  Nec mora, procedunt æquis inceſſibus ambo,
Arrectiſque vrſus plantis, apprehendere collum,
Et medios amplecti humeros, pectuſque parabat,
Succuſſumque hoſtem valido proſternere caſu,
Et ſtratum plantis terere, & proſcindere dente.
  At dum vrſus tentat primas attollere plantas,
Arripiens collum Diorix, villoſque prehendens,
Iuſilit in dorſum, & ſtringens pendentia crura,
Arte noua plantis vrget ſtringentibus vrſum,
Ille furens equitem ſaltu dorſoque fatigat,
Et furit, & rictu tentat mordere reflexo;
At Diorix villos capitis, colliquе prehendens,
Et mordens, dextraque premens, totaque ſiniſtra,
Inſuetum moderatur equum; tum tempus vtrumque
Debile compreſſæ repetito verbere dextræ
Percutit, obtunditque caput, molleſque meatus
Obſtruit, & tandem priuat vitalibus auris.

Tum

Tum vero ferrum arripiens jugulo imprimit enſem,
Et repetens gemino transfigit vulnere guttur,
Deficiunt ſenſim vires, & deficit vrſus,
Profluit effuſus cruor, & cum ſanguine vita,
Deſiliens Diorix victor pede proterit vrſum,
Plauditur, & totis reſonat victoria caſtris.
Irati Reges victum cecidiſſe leonem,
Ingentemque vrſum, bellatoremque elephantum,
Exclamant: Ergo denſas per inane ſagittas
Projicite ô ſocij, quæ portante impete ſurſum,
Pondere natiuo recidant, hoſteſque trucident
Subjectos, & ne vlla cadant innoxia tela,
Inficite infuſo lethalia tela veneno,
Cum telis mors ipſa cadat, perimatque cadendo,
Protinus innumeris offunditur æthra ſagittis,
Et telis pluit infuſis lethalibus æther.
Qualis ab æſtiuo, brumalique aëre grando
In montes, ſyluaſque cadit, fit in æthere murmur,
Sylua tremit, rami in partes & fruſta ſecantur,
Agricola & taurus fugit, & niſi lanea veſtis
Protegeret, morerentur oues, paſtorque periret.
Haud aliter denſis aër pluit vndique telis,
Nec miles quo currat habet, galea, enſis, & vmbo,
Et clypeus tectum eſt, hac ſe vix protegit vmbrâ.
Poſtquam ceſſauit nocuis pluere æthra ſagittis,
Nunc animis, inquit Placidus, nunc enſe, manuque
Pugnandum eſt, ſocij, felix erit ordine pugna,
Quiſque locum obſeruet, vincit qui vincere nouit:
Vos Arabes, & vos agiles equitare Sabæi,
Ite leues, Parthoſque equites, Medoſque fugaces,
Et Perſas, haſtiſque viam, gladiiſque parate.
Hæc tua ſors Princeps Helene, obſeruare Phraatem,
Et vinci Rex ille poteſt: Tu fortis Hydaſpes
Arſacidem vince, Aſtyages mea prouocat arma.
Hæc Placidus, verum Aſtyages clamore ſuperbo,
Vincamus Reges clamat, victoria noſtra eſt,

Primus

Primus ego totam vinco cum Cæſare Romam,
Trajanum voco Trajanum; ſimul exit in hoſtem
Extra aciem ſolus, cingit latus aureus enſis,
Haſtam dextra gerit, toto furor emicat ore;
Subſultans ſonipes albus, ſpumatque, furitque,
Et quarit irato terram pede, & euocat hoſtem.
Audiuit faſtum Placidus, geſtuque modeſto,
Trajanum appellas, ego quamuis æmulus impar
Supplebo tamen, & Trajani vlciſcar honorem,
Ecce adſum, pulchrum eſt magno cum Rege duellum.
Et tu, inquit, pugnare audes cum Principe miles,
Trajanum volui, & Regem cum Rege popoſci,
Pugnabo tamen, & famulum pro Cæſare vincam,
Et pro ſole vmbram: Placidus, ſum Cæſaris vmbra,
Et tenebræ lucem, & ſolem ſæpe vmbra fefellit.
Iamque accedebant; acies vtrimque paratæ
Certamen ſpectant, & palma vouetur vtrimque,
Et victor tamen vnus erit; ſic ſpectat vtrimque
Agmen apum, ſi parua licet componere magnis,
Aëriam Regum pugnam, pro mellis honore:
Procedunt ambo Reges extra agmen vtrumque,
Et ſtimulis, bombiſque micant, fugiuntque, fugantque,
Et redeunt, totiſque infligunt vulnera roſtris.
Interea turba vna tremit, tremit altera turba,
Et tacito ſermone vouet: ſic hoſtis vterque
Expectat pugnæ euentum, & victoria pende:
Impatiens iræ Aſtyages prior ore ſuperbo,
I ſonipes clamat, celer ille excurrit in hoſtem
Subſultans, & penè volans, Rex impete magno
Auratam vibrans haſtam, & iam proximus hoſti
Conatu ingenti Placidum transfigere tentat.
Inflexit corpus Placidus, plagamque fefellit:
At non effugies iteratum vulneris ictum,
Rex ait, & lateri telum intorquere parabat;
Subſultans equus, & Regem attollenſque, mouenſque,
Penè excuſſit equo, Placidus palleſcere cernens

Impellit ſeſſorem & equum, & dejecit vtrumque;
Nec mora, deſiluit celer, & Regi eripit haſtam,
Incumbenſque ſuper, poſſum, inquit parcere Regi
Si vitam petit, & petiit, Regique pepercit.
Mox juuenes, Arabum cretos de ſanguine Regum
Accerſens, huius dixit cuſtodia Regis
Veſtrum munus erit, quamuis captiuus & hoſtis,
Rex tamen eſt, ſed non orbis Regnator Eoi.
Conſcenſo mox Regis equo, galeaque ſuperbus,
Vicimus, exclamat, certo quiſque ordine pugnet,
Aſtyages cecidit, galeam, ſcutumque videtis.
Vos equites primi attonitos procurrite in hoſtes,
Et ne obſtent medias ferro reſecate ſariſſas,
Impellet ſocius ſocium, & cadet vnus in vnum,
Proterite, & ſtratas pedibus calcate cateruas.
Vos pedites cæſim, & punctim mactate jacentes:
Macti animo ſocij veſtrorum hæc meta laborum,
Vna dies orbem dominæ ſubmittere Romæ,
Et mundum pacare poteſt.
At contra Arſacides, capto vno Rege ſuperſum,
Arſacides, Perſaſque rego, Medoſque Phraates,
Rex vnus ſatis eſſe poteſt; pugnate ſodales,
Pro patria, & ſuperis, vincent ſi vincere vultis.
Interea reſonant litui, bellum, vndique bellum,
Loricati equites primi mittuntur in hoſtem,
Armati gladiis, nudiſque ſecuribus omnes.
Opponunt haſtas Parthi, longaſque ſariſſas,
Principio terrentur equi, nec ab hoſte redire,
Nec tranſire licet, ſtricto tandem enſe ſecantur,
Decuſſatæ haſtæ, propellitur hoſtis in hoſtem,
Fit via vi, ſternuntur humi, pedibuſque teruntur,
Turbatur ſeries armorum, inuertitur ordo,
Impellunt alios alij, ſurguntque, caduntque,
Læduntur denſati hoſtes, nec lædere poſſunt.
Succedunt pedites, punctimque & vulnera cæſim
Infligunt, hærent ſuffixis enſibus enſes,

Nec

Nec iam ſufficiunt gladij, dextraſque fatigat,
Cædendi labor, & miles gladiuſque laborat.
Arſacides animos fruſtra vireſque miniſtrat,
Heniochi Arſacidem quærunt, & quærit Hydaſpes,
Ad pugnam ſolum ſolus, negat ille, negantem
Inſequitur, gladioque ferit, læditque fugacem,
Procumbit, læſo incumbens hortatur Hydaſpes,
Vt viuat, tradi arma rogat, negat ille roganti,
Eripiunt famuli, vitamque admittere cogunt.
Inuitus tandem, & nolens ſe tradit Hydaſpi,
Admittit Regem Princeps, fratremque ſalutat,
Et cuſtoditum ad tentoria proxima ducit,
Et famulos Regi, & proprios donauit Ephæbos,
Poſt victum Arſacidem metuens pugnare Phraates
Ibat iter vinci nolens, hunc dum acriter vrgens
Inſequitur Princeps Helenus, verſo enſe Phraates
Vulnerat, agnoſcit læſus Regem eſſe Phraatem,
Et parcit, ſocij Regem violare parabant:
Parcite, ait Princeps, læſus Regi ipſe peperci;
Apprehendunt tamen,& capiunt, enſemque cruentum
Nolenti eripiunt, duci ad tentoria Princeps
Imperat, & Regi proprios adſcribit Ephæbos.
Vt Placidus vulnus dilecti audiuit amici,
Indoluit, ducique ægrum ad tentoria iuſſit
Regia, & ægroto fidum præfecit Ariſtum.
Nec mora, poſt captos Reges exercitus omnis
Per nemora, & montes, ſyluaſque, & deuia rura
Quærit iter, mortemque fugit pellente timore.
Quale examen apum, poſt acre & nobile bellum,
Poſt geminæ pugnam gentis,Regumque duellum,
Occiſo Rege, aut capto trepidantibus alis
Per campos, & rura volat, moriturque volando.
Sic Parthus, Meduſque fugit, campumque relinquit,
Impellente fugam Placido, & cædente fugaces.
Hoſtis victus erat, nec adhuc victoria victa,
Hanc Placidus vincens, placido ſic ore perorat.

O ſocij poſt victum hoſtem victoria maior
Vincenda eſt, Teſiphon Eoi gloria regni.
Vrbs Teſiphon regni caput,& magnæ æmula Romæ,
Vincenda eſt, vrbem vincet præſentia Regum,
Et gladius, vel mors præſens, adducite Reges
Captiuos, iubeant aperiri Regibus vrbem,
Aut gladium oſtendant nudum, vitæque periclum.
Adducti coram Reges, non oſtia pandi,
Non vrbem reddi verbis iuſsêre ſuperbis,
Suaſerunt voces humiles, & vincula Regum,
Et præſens ſtatus, & capitis, vitæque periclum,
Et domitus Tygris, Euphrates, vrbeſque rebelles,
Et Babylon, Carræ, Seleuce, Arbellaque nulla,
Et niſi dedatur Teſiphon Arbella futura.
Recluſere vrbem Reges,amiſſaque pugna,
Cladeſque Arbellæ præſens, cladeſque futura.
Oblatas Placidus claues à Præſide & vrbe
Admiſit placidis verbis, vrbique pepercit,
Et Teſiphon patuit, ſubiitque exercitus vrbem,
Et Reges quondam domini,ſubiere clientes,
Et Teſiphon hoſtis Romæ fuit altera Roma.
Viderat hæc Titan magni ſpectacula belli,
Et teſtes radios alium vertebat in orbem,
Collectas acies Placidus ſic inſtruit ore.
O ſocij non nos magnos ſuperauimus hoſtes,
Non Mavors, aut Mercurius, non Iupiter ipſe,
Non Venus aut Juno, aut Pallas, fortunaque cæca,
Hic vicit qui fata facit, Deus vnicus orbis,
Non plures vicere Dij; ſibi numina plura
Obſtarent ſi plura eſſent: Te exercitus iſte
Vne Deus colit, & grates, & vota rependit.
Poſt grates ſuperis actas. Laus altera vobis
Debetur ſocij, vos horrida monſtra ferarum
Viciſtis, ſæuoſque vrſos, grandeſque elephantos,
Quos non Alcides olim, non fabula vicit,
Vos Parthum,& Perſam,& Medum,populoſq; feroces,
Et

Et Reges, Regumque Deos certamine iuſtò
Viciſti, per vos Eoi gloria mundi
Victa iacet, per vos mundum reget vnica Roma,
Et toti Cæſar victor dominabitur orbi.
Trajanum moneo velox, & nomina veſtra,
Et decora, & palmas ſcribo, celer ille triumphans
Adueniet, per vos victor, mundique vtriuſque
Regnator, laudes vobis & præmia reddet.
Præfeci Regum ſpoliis, opibuſque relictis
Cuſtodes, fidoſque duces, lux craſtina prædas
Diuidet, & meritis ſtipendia regia ſoluet.

LIBER SEXTVS.

SYNOPSIS.

SVB noctem Placidus Principem Helenum in prælio vulneratum inuiſit, redux ad ædes regias Ariſtum interrogat, quid de armis & bello ſentiat, diſplicere ſibi ipſam etiam victoriam, & ſolam oſtenſam olim crucem placere. Ariſtus venturam breui crucem prædicit; interea monet vt ius publicum omnibus reddat, vt Legatos Principum excipiat: prædicit aduentum Matronæ amiſſos Liberos & maritum inter arma quærentis. Illuceſcente die

Placidus relata ex hoſtibus ſpolia militibus diuidenda ducibus committit; ipſa tres Regum clypeos cælaturis inſignes donat, Hydaſpi vnum, Heleno alterum, tertium Trajano deſtinat; ſub hac Legatos excipit, ius publicum dicit; Matronam à ſancto Clemente admonitam vt amiſſum maritum, & duos liberos in exercitu Romano quærat, humaniter excipit, timidam animat ad dicendum, audit, interrogat, & tandem ex cicatrice vultus agnoſcitur Placidus, & vxorem agnoſcit, & ſuggerente Deo accerſiti duo juuenes à ſancto Clemente donati Hydaſpi, & ab illo donati Placido, ex narratâ vitâ, & variis indiciis, præſertim ex crucibus à matre brachio impreſſis agnoſcuntur eſſe fratres, & duo Placidi & Theopiſtæ Liberi. Deſcribuntur gaudia Parentum, gratiarum actiones Deo, congratulationes publicæ & priuatæ, conuiuium domeſticum; denique Ariſtus poſt exploratam Dei prouidentiam erga Placidum, prædicit glorioſum Placidi triumphum Romæ, & poſt triumphum martyrium. Valedicit Placido, & ad cœlum redit.

LIBER

LIBER SEXTVS.

NOX erat, & feſſus miles ſuccedit in ædes,
Hoſpeſque,& ciuis,Teſiſonque eſt altera Roma:
Sub noctem Placidus dilectum inuiſit amicum,
Attrectatque Heleni vulnus, minuitque dolorem
Conualuit læſura breui, ſanataque plaga
Laus Heleno fuit, & placuit generoſa cicatrix.
Hinc ad regales Placidus deducitur ædes;
Interea vigiles defendunt hoſtibus vrbem,
Et nemo hoſtis erat, litui pæana canentes
Inducunt oculis ſomnos, animiſque quietem.
At vigiles horas ad multæ tempora noctis
Ducebat Placidus, vigilanſque orabat Ariſtus.
Poſt humiles, ſacraſque preces, dic frater Ariſte,
Quid tu, inquit Placidus, de belli munere cenſes?
Vicimus, at numquid Trajani gloria victrix
Eſt merces Placidi? quales victoribus iræ?
Quæ lachrymæ miſeris? quæ deſperatio victis?
Quot miſeræ periere animæ? quid ſi ipſe periſſem?
Et potui vinci, & miſeranda morte perire?
Cur me iſtis expono malis? cur arma reſumpſi,
Arma olim neglecta mihi? O ſors ruris & horti,
Cur te deſerui? non hæc certamina Chriſte,
Non enſem,& galeam monſtraſti ex arbore pendens,
Oſtenſus Placido magni inter cornua Cerui,
Cur viſam non quæro crucem, cur ſigna reliqui
Chriſte tua, vt ſequerer belli fallentia ſigna?
Crux oſtenſa redi, vinci non vincere quæro,
Proque Deo moriente mori. Reſpondit Ariſtus,
Et dabitur mors iſta breui, nunc accipe pauca.
Quæ petis, hæ vitæ ratio, fortunaque belli,

Virtuti ſeruire poteſt, nec obeſſe ſaluti,
Si careat noxis, & multi innoxia bella
Geſſerunt, & tu potuiſti innoxius eſſe:
Peccaſti, dum præcipitem furor egit in hoſtem,
Ira licet, ſed non furere, & ſæuire cruentum,
Et tu ſæuiſti: placuit clementia cælo,
Quæ victo, ſtratoque hoſti, Regique pepercit;
Erraſti dum victum hoſtem, ſtratumque putaſti
Sub dextra cecidiſſe tua, victoria belli
Debetur Superis, Deus eſt qui bella gubernat,
Pugnat homo, vincitque Deus. Belli alea fatum eſt,
Et Deus eſt qui fata facit, ſors altera cæca eſt,
Pugnauit Placidus, cælum pro Cæſare vicit,
Puniuit Parthum cælum, Romæque pepercit.
Audi venturos caſus, & proxima fata:
Purga vrbem vitiis, ritusque extingue profanos,
Perſuade Chriſtum eſſe Deum, pro hoc nomine pugna,
Pugnabis quondam, pugnis prælude futuris.
Poſt luſtratam aciem, prædaſque ex hoſte relatas
Diuiſas pugnæ ſociis, atque æra ſoluta,
Legatos Regum excipies, & vota clientum,
Et reddes ius cuique ſuum: ſed mater honeſta
Adueniet ſupplex, geminamque ex conjuge prolem
Ereptam dudum, & miſerandā ſorte maritum
Amiſſum multis mulier iam quærit ab annis;
Exul ad Euxini confinia littora Ponti,
Romanus Clemens miſeræ hæc oracula dixit:
I mater ſaluam prolem, ſponſumque videbis,
Et ſponſus, puerique gerunt pro Cæſare bellum;
Redde piæ matri pueros, & redde maritum.
Afflixit Placidum matronæ caſus acerbus,
Et ſimilis quondam caſus ſuccurrit imago,
Excepit lachrymas ſomnus, lachrymaſque leuauit.
Sol vbi nocturnas deterſit ab ædibus vmbras,
Feſtiuumque diem litui cecinere ſonori,
Collectas Placidus prædas ex hoſte relatas

Committit

Committit ducibus ſociis ex ordine dandas,
Pro meritis, primas aliis, aliiſque ſecundas,
Et primus penè omnis erat; nemoque ſecundus.
  Tres, inquit, Regum clypeos afferte videndos,
Hic Xercem, & ſtratum bis mille triremibus æquor
Oſtendit, captiua fluit ſub nauibus vnda,
Murmurat iratum pelagus, Xerceſque flagellat,
Hic tibi victori clypeus debetur Hydaſpes.
  Hic clypeo inciſus ſpectatur in ære Phraates,
Et centum Reges proaui, Beluſque, Naaſque,
Et permixta viris bello metuenda virago.
Semiviri pugnant Reges, & fœmina vincit,
Hunc Helenus clypeum meruit, donabis Ariſte.
  Victus in hoc clypeo Craſſus, Parthuſq; triumphans
Cernitur, emendo clypeum, mutoque figuras,
Aſtyages vinctus ſculpto ſplendebit in auro,
Romamque & Craſſum victum vlciſcetur imago,
Hunc ego Trajano clypeum, Romæque reſeruo.
  Succeſſere amplis ſpoliis conuiuia lauta,
Ludique, & ludis ſtipendia, & æra ſoluta.
  Interea eoas volitarat fama per oras
Victoris Placidi, & populi, genteſque remotæ
Trajano obſequij fœdus, Placidoque vouebant,
Matronæque piæ, & matres, teneræque puellæ,
Tutorem Placidum defenſoremque rogabant,
Et Placidus tutum miſeris præbebat aſylum,
Supplebatque patrem pueris, viduiſque patronum.
  Ecce tibi ſupplex vultu matrona modeſto,
Et lachrymans Placidum verbis affatur amaris:
Parce, ait, ignotæ matri clariſſime Princeps,
Euxinis exul Clemens Romanus in oris
Te miſeris portum, & tutum narrauit aſylum,
Et præſens perſuaſit iter, ſi fortè placebit.
  Affectæ mouit Placidum miſeratio matris,
Clementis nomen, monitorque fidelis Ariſtus,
Subductam à turba vocat ad conclaue propinquum,

Atque animos addens timidæ, jubet omnia fari,
Et facilem promittit opem, quid fœmina poſcat ?
An vidua, an mater, quæ patria, quive parentes ?
Quis Clemens, an nota viro, an baptiſmate tincta ?
An credat Chriſtũ eſſe Deum? Dicam omnia Princeps,
Dum dicit, nutus omnes, & verba loquentis,
Accentuſque notat Placidus, vultumque, oculoſque,
Et vocem, vociſque tonum ; Famulam, inquit, agebam
Cherſonæ, venalem emit me fœmina princeps,
Vendiderat paſtor, Clementem nuper adiui ;
Euxinis exul Clemens habitabat in oris,
Educti è terra vidi miracula fontis,
Et ſacras potaui vndas, fata ille futura
Narrabat multis, hunc nuper & ipſa rogaui,
Amiſſæ ſortem prolis, ſortemque mariti.
Hæc breuius dicis, narra prolixius, inquit,
Tu mater cui nupta viro ? quæ pignora dicis ?
Sponſus erat, flens reſpondit, vir nobilis armis,
Nobilior Superûm cultu, & virtutis amore,
Tentauit virtutem hominis, crucibuſque probauit
Apparens Chriſtus magni inter cornua Cerui ;
Me quoque participem crucis, & mea pignora fecit.
Perge, inquit, narrare cruces, & cætera fari.
Poſt aliquot ſoles, inquit, ſæuiſſima peſtis,
Et pecora, & villas cœpit corrumpere noſtras,
Afflauitque ædes proprias, aliiſque pepercit,
Nec dubium ſignante Deo quas tangeret ædes,
Et noſtram ſignante domum, ſic nobilis heros,
Heroëm appello, talem Roma ipſa vocabat,
Diuitiis & honore potens, ex diuite pauper
Effectus, cunctiſque breui ignoratus amicis,
Excedens Româ, pharias migrauit in oras,
Et me conſortem crucis, & mea pignora duxit.
Per varios tandem caſus ad littora Nili
Appulſos vltra fluuium nos nauita vexit :
E naui ad terram pueri exiuere priores,

Exiuit deinceps conjux, me exire parantem
Inuitam tenuit nauta: ejecitque maritum;
Protinus impulſam nauim currentibus vndis
Reddit, & aduerſas longè propellit in oras:
Nec ſponſum vidi, nec ſum vltra viſa marito;
Nunc teſtor Superos, & ſi mendacia dico,
Vltrices poſco pœnas, violare parantem,
Perculit impurum lethali vulnere nautam
Formoſus juuenis, non vltra viſus vtrique,
Ignotuſque mihi, credo vel ab æthere miſſum,
Vel mihi præſentem genium, cui cura ſalutis
Eſt commiſſa meæ, nec fidus tutor honoris
Hic ſtetit, attonitam caſu, & maiora timentem,
Per montes an per ſyluas, vacuaſque per auras
Neſcio, Cherſonam felici tramite duxit,
Et famulam dominæ dedit, inuiſuſque receſſit;
Huic ego quindenos ſeruiui ancilla per annos,
Et dominæ placui, hanc Clemens luſtralibus vndis
Abluit, hæc ſæpe ad Clementem nuncia miſit,
Et ſæpe ipſa tuli: nuper de ſorte mariti,
De gemina prole amiſſa reſponſa rogaui;
Ille arcana ſciens Romana ad caſtra remiſit,
Et te Præfectum caſtris. Ergo optime Princeps,
Et matri pueros, & ſponſæ redde maritum,
Et lachrymas addit verbis; At tu optima mater
An ſatis agnoſces, ſi viuum oſtendo maritum,
Quænam ætas, quæ forma viri? quæ inſignia vultus?
Quod nomen? faciem, reſpondit, honeſta cicatrix
Ornabat, nomen Placidus, generoſaque forma,
Attollenſque modeſta oculos, quos cura pudoris
Depreſſos retinebat humi: niſi vilior eſſem,
Et qualis non ante fui, clariſſime Princeps,
Te Placido, ſponſoque meo ſimilem eſſe putarem;
Mouerunt lachrymæ Placidum, nomenque mariti,
Ipſe quoque illacrymans. Conjux chariſſima dixit,
Sum Placidus Theopiſta tuus, tu ſponſa fidelis,

Sponſus ego, & lachrymans caræ dedit oſcula ſponſæ,
Et voces ſuppreſſit amor; ſucclamat Ariſtus:
Si memor es Placide, hæc olim ventura Thadæus
Prædixit vates, vicinæ habitator Edeſſæ,
Et ſponſam ſponſo reddendam, & pignora matri,
Et bellum,& cauſas, tempuſque, locumque notauit,
Sub patre pugnantem prolem, ignotamque parenti.
Ergo quærendi juuenes, vel deteget ætas,
Vel iuuenes ipſi forſan ſua nomina dicent,
Et matris multum, & forſan plus patris habebunt.
Recta mones, inquit Placidus, tu Mater alumnos
Agnoſces melius, fortè illos duxit Hydaſpes,
Et commendauit Clemens, ipſe inter Ephæbos
Admiſit juuenes ambos, nec diſſonat ætas,
Et vultus placuere mihi; accerſatur vterque.
Vt juvenes vidit Placidus, ſpeculatus vtrumque,
An inquit fratres eſtis, quæ patria vobis
Dicite, quod nomen? qui vos genuere parentes?
Tu maior natu, narra, dumque ora reſoluit,
Obſeruat vultum mater, vocemque loquentis,
Et pater obſeruat ſocium, exploratque tacentem.
Vix, inquit, patriam noui, clariſſime Princeps,
Non genus & proauos, non ipſos noſco parentes,
An ſocij, an fratres ſimus, vix arbitror eſſe,
Hic genus, & nomen dicet, mihi nomen Agapus,
Si patriam memorare jubes, incertaque fari,
Ni fallit me fama loquax, mihi patria Roma eſt,
Nomen erat patri Placidus, matri Theopiſta,
Sic ſæpe audiui patrem, matremque vocari;
Et paruus mihi frater erat, ſed neſcio nomen.
Tres annos emenſus eram, niſi tempora fallunt,
Adductum ad quendam fluuium liquere parentes,
Aut ego deſerui, vicino è colle leæna,
Accurrens ſtimulante fame, abſorbere parabat,
Subſiſtit tandem, & puerum miſerata gementem,
Turgentes gemmas infanti oſtendit, & ori

Applicuit,

Applicuit; trepidans,ſiccoque ardore laborans,
Turgentes preſſi mammas, atque vbera ſuxi,
Et matris de lacte bibi; perfuncta leæna
Munere nutricis, forſan reditura receſſit:
Sed factum admirans vicini paſtor ouilis
Accurrens, vidit puerum, & miſeratus in ædem
Traduxit propriam, & ſponſæ commiſit alendum,
Suppleuitque patrem, & conjux ſuſcepit alumnum,
Non ingratus ego biſſenis circiter annis
Paſtoris munus geſſi, placuique colonis,
Grandior effectus veniam à paſtore popoſci
Quærendi patris; ille enſem donauit & arcum,
Per nemora, & montes nullo ductore viarum
Cherſonam caſu veni, illic turba virorum
Damnata exilio deciſa è montibus altis
Marmora ſcindebant, lapides etiam ipſe ſecaui;
Illic Clementem vidi, de vertice collis
Deſignatum agni plantis educere fontem,
Hæc ſitiens omnis populus miracula vidit,
Hos latices etiam ipſe bibi, & miracula ſenſi,
Hic me Clementi ſenſus deuinxit, & ille
Me famulum admiſit, Princeps donauit Hydaſpi,
Me tibi donauit Princeps, tu cætera noſti.
At tibi quod nomen, quæ patria, quive parentes?
Enarra juuenis: Dicam clariſſime Princeps,
Quæ vidi puer, & poſſum meminiſſe biennis,
Hæc ætas non maior erat cum fata parentem
Eripuere mihi,meque eripuere parenti,
Nomen erat Theopus, ſic voce vocabar amica,
Deliciæ genitricis eram, patriſque voluptas,
Roma mihi patria, & clari genuere parentes,
Mutauit fortuna vices, ex diuite pauper
Effectus pater, externas pergebat in oras,
Et me ſæpe humeris, & collo ſæpe gerebat,
Ducebat fratrem genitrix, greſſumque juuabat.
Poſt aliquot ſoles ad magni fluminis oram
Appulimus;

Appulimus; deinceps quid factum vtrique parenti
Ignoro, de me hæc fidi dixere coloni,
Expoſitum ad ripam fluuij audiuere gementem;
Mox ſæuam ad pueri lachrymas, & carnis odorem
Vicino de colle lupam prodire furentem,
Iamque propinquantem ſpectant; verum ecce colonus
Proſcindens terram exclamat, grandemque moloſſum
Latrantem, morſumque lupæ, mortemque minantem
Immittit, ſequiturque armatus ſtipite longo;
Iamque ibat, fugit ſolitum lupa territa in antrum.
Et prædam agricolæ nunquam reditura reliquit.
Ille ſinu amplectens infantem aſportat in antrum,
Enarrat factum, & ſponſæ commendat alendum:
Biſſenos exegi annos pecora inter & arua,
Et famulus vaccas, tauroſque ad paſcua duxi;
Agricola obſeruans genium, moreſque animumque,
Expertumque diu natum ad maiora putauit,
Tandemque inſtructum monitis permittit abire,
Et gladio, & funda, & jaculis donauit & arcu.
Poſt humiles grates habitas, oblataque vota,
Hoſpitio tandem, villaque egreſſus agreſti
Hærebam incertus vitæ, ignaruſque viarum;
Ter cælum aſpexi triſtis, ter poplite flexo
Numen adoraui pronus, comitemque popoſci.
Nec mora, formoſus iuuenis, puto ab aëre lapſus
Promiſit comitem quocunque accedere vellem,
Ad genua ex humeris pendebat cærula veſtis,
Ne ventum exciperet, ſtringebat zona fluentem,
Cæſaries neglecta caput, collumque tegebat,
Huic ego me famulum addixi quodcumque juberet,
Et comitem quocumque iret; ſubriſit amanter,
Non famulus, ſed frater eris, ſimul ibimus, inquit,
Cherſonam pergo, & caros inuiſo ſodales,
Damnati exilio lapides & marmora ſcindunt,
Romanæ fidei teſtes, & marmore digni;
Ipſe etiam Clemens Romani paſtor ouilis,
Succeſſor

Succeſſor Petri, petras & marmora ſcindit,
Huic ego te tradam domino, fideique magiſtro.
Iuimus, an per aquas, terraſque, aut aëra vecti,
Neſcio, Clementi me commendauit alumnum,
Et me deſeruit, rejecitque ire volentem,
Et puto cæleſtes velox reuolauit in auras,
Inuiſuſque fuit; Clemens me adjunxit Agapo,
Huic ego fortunam dixi, narrauit & ille,
Et ſimilis fortuna fuit, ſeruiuimus ambo
Clementi, nos ille pari dilexit amore:
Hic fratres nos fecit amor, miracula fontis
Vidimus, & ſacras dudum potauimus vndas,
Hæc nuper fontis miracula vidit Hydaſpes,
Heniochus Princeps, & ſacris credidit vndis,
Huic nos armigeros Clemens donauit Ephæbos.
Donauit nos ille tibi. Tu cætera noſti.
Hæc dum miratur Placidus, variſque Thadæi
Verba animo reputat, tacitus miracula adorat,
Et credit quæ non caperet, niſi facta videret,
Et Chriſtum feciſſe putat, maioraque ſperat.
At juuenes, orat Theopiſta, oſtendite dextras,
Oſtendunt, videt illa cruces è ſanguine rubras,
Ad commiſſuram pugni, fineſque lacerti
Admirans, crucibuſque ſacris pia baſia libans,
Has ego, ait, punxi venas, hæc vulnera feci,
Impreſſique cruces, poſtquam inter cornua Cerui
Apparens Placido pendens ex arbore Chriſtus,
Promiſit Patri, & Natis crucis arma, mihique,
Promiſſis nunc ille ſtetit; Procumbite Nati,
Hic veſter Placidus Pater eſt, agnoſcite Patrem,
Hæc vobis Theopiſta parens, data baſia matri.
At Placidus genibus pronis, & ſupplice vultu,
Numen adoremus Chriſti, venerandaque ſigna
Arboris, ex qua author vitæ Deus ipſe pependit.
O nos felices quos per miracula Chriſtus
Diuiſit, iunxitque ſimul, felicia fata,

Si liceat quondam pendêre ex arbore Chriſti,
Proque Deo moriente mori! fata illa beata
Chriſte oſtendiſti Placido, fata illa vouemus.
Suppreſſit voces amor, admiratio muta,
Et lachrymæ, & læti dixerunt cætera fletus.
Difficile anguſtis retinentur gaudia tectis,
Scilicet erumpunt, & publica reddere gaudet
Fama loquax, totis vulgauit garrula caſtris
Veniſſe vxorem Placidi, multoſque per annos
Amiſſam prolem ad carum rediiſſe parentem.
Tum vero ad Placidum ex tota concurritur vrbe,
Lætari Proceres belli, gaudêre Tribuni,
Turmæque, & lætæ paſſim exultare cohortes:
Nec celare poteſt Placidus, nec vera tacere,
Oſtenſa eſt conjux, dedit, accepitque ſalutem,
Et placuit ſimplex habitus, neglectaque forma,
Et juueues Patri ignoti, cum iuſſa parentis
Exciperent alacres, palmaſque ex hoſte referrent.
Admirari omnes ſortem, & miracula ſortis,
Narrari Placidi fortuna, ex diuite pauper,
Ex duce cultor agri, ex agro reuocatus ad arma,
Militiæ Princeps; alter ſub Cæſare Cæſar.
Inquiri rerum cauſæ, euentuſque, viceſque,
Oſtenſus Placido cerui inter cornua Chriſtus
E cruce dependens, & crux promiſſa videnti,
Laudari virtus Placidi per dura laborum,
Per probra, jacturas rerum, pœnaſque, cruceſque,
Auri inſtar per fornaces, igneſque probati,
Exemploque Dei victor poſt omnia victa,
Laudari Chriſtus, per damna, per aſpera fata,
Exercens meritam virtutem, & præmia reddens,
Hoc demum eſt Chriſtum eſſe Deum; nec vana fuerunt
Verba ducum, placuit multis exercita virtus
Caſibus aduerſis, & compenſata beatis,
Compenſanſque Deus. Placidus ſubjecit amanter.
O Proceres, ô ſi fidei myſteria veræ

Sciretis,

Sciretis, vobis Proceres Deus vnicus eſſet.
Chriſtus homo, Chriſtuſque Deus: peccauit Adamus
Humanæ prolis genitor; damnabile pomum
Guſtauit pater, & nati ſensêre venenum:
Læſus erat Pater æternus, culpæque piandæ
Nemo æqualis erat; nec ſoluere ſolus Adamus,
Nec poterat debere Deus. Quis debita ſoluet?
Audiat humanum genus, & miretur amorem;
Humanam aſſumpſit carnem de Virgine Chriſtus,
Vt poſſet ſub carne mori, mortalis obiuit,
Placauitque Deum moriens Deus, & crucis arbor
Peccati tolerauit onus, mundumque redemit,
Chriſtum hominem, Chriſtumque Deum miraculà clamant;
Hæc Helenus Chriſti miraculà vidit Edeſſæ,
Hæc ad Cherſonam miracula vidit Hydaſpes,
Nunc etiam veræ fidei miracula patrat
Euxinis exul Clemens Romanus in oris:
Hæc Florus, Proceresque alij miracula credũt:
O ſocij hæc mecum miracula Credite Chriſti,
Ipſe olim Gentilis eram, nunc credo fidelis,
Expertuſque crucem ſenſi miracula Chriſti,
Et nati ſenſere mei.
Has inter laudes optata vtrimque ſalute
Seceſſere duces, Placidus regalia tecta
Cum ſponſa & natis ſubiit, præceſſit Ariſtus
Et lautas epulas Matri, Natiſque parauit.
Accumbunt hilares, Placidus ſuccedere ſponſam
Ad dextram iubet, & natos ſub matre ſedere,
Fercula erant, lautæque dapes, & perſica vina,
Lætitiæ, & lachrymæ, guſtus, potuſque fuêre.
Poſt epulas pene intactas, menſamque remotam,
His Placidum & ſponſam verbis affatur Ariſtus:
Seruatori hominum gratas expendite laudes,
Qui vos vt regni ſocios cæleſtis adoptet
Conformes vult eſſe ſibi, cruce regna redemit,

Hæredes

Hæredes vult eſſe crucis. Macti ergo ſodales
Athletæ fidei, pro Chriſto magna tuliſtis,
Vos grauiora manent; caſus audire futuros.
Quis tibi ad Edeſſam ſocium donauit Ariſtum,
Scis Placide, at neſcis quis ſit donatus Ariſtus,
Incola ſum cæli ex geniis cæleſtibus vnus,
Quos hominum curæ aſſignat Deus, hactenus egi
Tutelam curamque tui, nunc munere functus
Ad cælum redeo; Ad verba hæc cæleſtis Ephæbi
Procubuere omnes timidi: nolite timere,
Adjecit Genius, caſus audite futuros.
Imperij Princeps mortem Trajanus obiuit,
Craſtinus hæc curſor dicet, tu coge cohortes,
Et Regem vixiſſe doce; tibi miles amicus
Imperium deferre volet, tu ſceptra recuſa,
Te regnum expectat melius, te Roma vocabit,
Victricemque aciem Tarpeias victor ad arces
Deduces, currumque tuum, lætumque triumphum
Ornabunt captæque arces, vrbeſque receptæ,
Tygriſque, Euphrateſque fluent, ſub imagine victi,
Et Tyberim dominum agnoſcent, Arbella rebellis,
Et Teſiphon capta, & Reges, captiuaque regna,
Victorem Placidum Roma plaudente ſequentur.
At mundi quò ſpectat honos, & gloria fallax?
Poſt tot delicias, & publica gaudia Romæ
Cogêris dare thura Ioui, & ſi thura recuſes,
Thus & flamma Ioui fies, & victima Marti.
Verum macte animis Euſtachi, hæc vltima crux eſt,
Crux olim promiſſa tibi, grauis illa ferendo
Si ſolus ferres, ſolabitur ille ferentem,
Qui dedit vt ferres, fiet leue pondus onuſto,
Partem oneris tolerante Deo; nec dura tacebo,
Objiciere feris, vrſi, immaneſque leones
Principio ſæuire volent, denteſque parabunt,
Rictuſque & plantas, & crura, vngueſque recuruos,
Spectabit rabiem circus, metuetque theatrum,

At

At vos brutorum ſæuas ridebitis iras,
Mox vbi virtutem agnoſcent, vos bruta timebunt,
Accedet ſupplex vrſus, pronique leones
Incedent, & ſacra pedum veſtigia lingent,
Succedet brutis immanis taurus ahenus
Sæuior incluſas inter præcordia flammas
Ore vomens, illic inter flammantia tecta
Claudêris viuus, venter tibi carcer & ædes,
Et thalamus genialis erit. Quod acerbius igne eſt,
Et conjux tecum, & nati claudentur eodem
Carcere, fumantis ſæua inter viſcera tauri.
Nec tamen hic carcer Theopiſta, aut viſcera tauri
Te moueant, nec vos juuenes hic terreat ignis,
Mutabit naturam ignis, ros fiet amœnus,
Et pœnæ flores fient, & lilia flammæ,
Et taurus Matri & Natis illuſtre ſepulchrum,
Et Placido fiet bos nobile mauſoleum,
Et viuo ſedes erit inter ſydera cælo.
Viuite felices, vos cælum expectat & aſtra,
Pugnantes lætus ſpectabit ab æthere Chriſtus,
Et vires addet, promiſſaque præmia reddet,
Et vos indigetes tellus ad vota vocabit,
Et Romæ patroni eritis, tutelaque mundi.
Vincite, ego ſedes patrias, cælumque reuiſo,
Dum vobis præſens aderam cœnare videbat,
Verum immortales genios alit altera menſa.
Dixit, & in tenues velox euanuit auras,
Nec viſus Placido deinde eſt, & ab æthere vidit.

PARS

PARS SECVNDA PANEGYRICI.

VMBRA AVGVSTINI.

Panegyricus libertatis & gratiæ, & vtriuſque concordia.

VMBRA Auguſtini terras irata reuiſo
Ius vltura meum, violataque Gratia mecum,
Læſaque libertas mecum redit: vtraque dicet
Doctrinam de vtrâque meam; ſciat orbis oportet
Mentem Auguſtini, falſas Ianſenius vmbras
Suppoſuit mundo, verax ego corporis Vmbra,
Atque animi docta Vmbra loquor.

Quid ſit libertas.

Dic age libertas, quales tibi Gratia dotes,
Et quales Natura dedit? mihi tradidit, inquit,
Imperium natura ſuum, me Gratia captat
Aſſenſus ſtudioſa mei; Deus ipſe futuros
Arbitrij explorat nutus, quid ſola voluntas
Eligeret, ſi ſola eſſet, dextramque iuuantem,
Auxiliumque ſuum præuiſis nutibus aptat;

Et

Et nutus ſunt nondum actus: prænoſcit agenda,
Et mecum peragit; poſſet ſubducere dextram
Ne vellem, totâ non poſſet cogere dextrâ
Vt quod nolo velim, nolo quod nolo, voloque
Quod volo, Reginam fecit qui condidit Author,
Nec Regina eſſem, ſi ſceptra aliena gubernans
Non eſſem Regina mei.
Non ſatis in laudem dixi, ſuſpendere poſſum,
Et motus animi, & curas, & gaudia, & ipſum
Arbitrij imperium; dum ſic ſuſpenſa quieſco
Tunc operor, penſique expers operoſa laboro,
Et volo tunc aliquid dum nil volo; ſcilicet vtor
Arbitrio, dum nolo vti, & dum libera ceſſo
Me dominam tunc eſſe probo:
Plus aliquid dico, poſſum contraria velle,
Et mortem, vitamque ſequi, nocet ignibus vnda,
Et nocet ignis aquis, neuter mihi noxius hoſtis,
Hoſtis vterque ſibi: fallax me ſæpe fefellit
Vmbra boni, ſæpe vmbra mali: neutra vmbra coëgit
Arbitrium violenta meum: non ſi omnia ſceptra
Promittat dæmon, non ſi omnia damna minetur,
Inuitam vis nulla trahit: falli Eua volebat,
Et fraudi conſenſit Adam, ſi vellet vterque,
Staret vterque horti dominus, fortunaque mundi
Staret adhuc, ſerpens terras morderet, & orcum
Mortaliſque ſator vitæ ſuccederet Aſtris
Non vltra moriturus Adam: damnabile pomum
Guſtauit Pater, & Nati ſenſêre venenum,
Dum tamen hac eſcâ victa eſt humana voluntas,
Libertas inuicta ſtetit, lapſique parentis
Arbitrium in mediis tenuit ſua iura ruinis,
Exul Adam, liberque fuit; miſerique nepotes,
Et reges manſêre ſui.
Denique ſæpe vocat blandis me Gratia verbis,
Et ſæpe illecebris victam trahit ire volentem;
Si vellem nullis traheret me Gratia vinclis,

Et

Et ſæpe excuſſi nexus, vt ſponte perirem
In damnum generoſa meum; ſum cauſa ruinæ
Sola meæ, nec ſola tamen ſum cauſa ſalutis:
Intus agit, firmatque Deus, ſequor ipſa vocantem
Non præuerto Deum. Sic nobilis aëris hoſpes
Ales Apus, ſola ex patriis delabitur auris,
Deſcenſum natura iuuat, pennæque miniſtrant;
At reuocare gradum, & patrio ſe reddere cælo
Sola nequit volucris, zephiroſque expectat & auras,
Supplentemque pedes flatum, remiſque repandis
Alarum captat flatus, auraſque iuuantes,
Et reducem cælo facit ales, & aura volatum.
Sic ego non ſola alarum virtute reſurgo,
Et ſolâ virtute cado.

Gratia vniuerſim.

Tu quoque diuinas enarra Gratia dotes,
Et vires deſcribe tuas; mihi ſpiritus, inquit,
Eſt Pater, hic gemini poſtremus origine puncti
Accipit exhauſtam Deitatem, & Numine pleno,
Cui ſpiret ſimilem non inuenit intus amorem:
Hunc ego fæcundum facio, ſpirataque dicor
Gratia, communi quamuis inſpiret amore,
Et totus ſit cauſa Deus.
Altera cauſa mei Chriſtus, meme ille refecit
Dum meruit, meritamque humano reddidit orbi.
Conjugibus mundi primis, & Regibus orbis
Me Deus æterni pignus donauit amoris,
Hæredeſque ſui fecit, dum fœdere pacto
Hæredes dedit eſſe mei; ſi pacta fideles
Seruaſſent, proli fueram promiſſa futuræ,
Hæredes factura Deos; peccauit Adamus,
Et grauidâ geſtans in libertate futuram
Progeniem, incluſos hoc læſit vulnere natos
Quo Patri nocuit, crimenque vocatur origo,

Et

Et ſcelus eſt hominem naſci: miſeratus Adamum
Alter Adam, læſi reparauit iura Parentis,
Et Verbo carni vnito, carnemque redemit,
Placauitque Deum Deus; huius fœdere pacis
Reddita ſum terris; duplexque amiſſa Parenti
Reſtituor terris duplex; pars altera noſtri
Eſt habitus, figitque gradum, creſcitque merendo,
Hæredemque animum diuino munere complens,
Pene hominem facit eſſe Deum. Pars altera lux eſt,
Et radius qui præueniens, comitanſque, ſequenſque
Excitat humanam mentem, attollitque iuuando:
Ac velut exudans imber peruadit hiantem
Terræ vterum, penetratque ſinus, ſiccaſque medullas,
Et ſterilem complet fœcundo ſemine vuluam,
Telluremque facit matrem, ſi fertilis imbri
Succedat ſolis radius, qui ſemen alumnum
Excitet, & vires addens per hiantia clauſtra
Impellat, trudatque foras; ſic Gratia menti,
Et calor, & pluuia eſt, libertatemque parentem
Prole facit diuina, & Cæli iura merentem.
Hic meus in terras reditus; narrare labores,
Et pugnas, atque arma placet, victique triumphos
Humani Arbitrij, vincit dum vincitur à me,
Dum ſuperat cadit, & geminæ fit cauſa ruinæ,
Et me dum perimit, mecum perit,

Gratia ſufficiens.

Principio nulli mortali Gratia deſum
Sufficiens, emit toto me ſanguine Chriſtus,
Et ſatis eſt mundo ille cruor; fons eſſet auarus
Si flueret paucis, & ſufficit omnibus vnda.
Et nulli ſe Lympha negat.
Vult omnes ſeruare Deus, nullique parauit
Pœnas ante ſcelus, præceſſit Olympus Auernum,
Vltoremque Deum miſerans Deus: At quis Olympi
Speret

Speret iter, tentetque gradum, ſi Gratia deſit
Sufficiens, ſpiranſque animos, vireſque miniſtrans,
Et faciens, monſtranſque viam.
  Nec iuſtas homini pœnas Deus inferet vltor
Quod titubet qui ſtare nequit, nec iuſta iubebit
Si ſuperent iuſſa arbitrium, nec Gratia vires
Sufficiat, tendatque manum, & comitetur euntem,
Et iuſſum moderetur iter : ſic Alitis hæres
Fulminei, nondum inſtructus vibrantibus alis
Prodire ex nido nequit, & pendente cubili,
Ni Pater exponat Cælo, attollatque volantem,
Soliſque opponat radiis, nidoque reportet
Infantem, & ſocias infirmo accommodet alas :
Ni faciat ſceptro innocuus priuabitur hæres,
Et probrum genitoris erit.
  Hic meus ille labor libertati addere vires,
Vt poſſit, ſi poſſe velit ; nec me iſta grauaret
Cura miniſterij, ſi prompta audire voluntas,
Vellet iuſſa ſequi, ſed ſæpe oblita ſalutis,
Sæpe memor, ridet nutus, & verba monentis ;
O quoties monui errantem, blandéque prehenſam
Reſtitui ? quoties ſtimulis, flagriſque cecidi ?
At quoties Domino arbitrio, frænoſque momordit,
Et ſtimulos fremitu, & ſaltu calcaria riſit ?
  Quis numeret quot probra tuli, triſteſque repulſas ?
Nec tamen abſtinui monitis, imitataque Chriſtum
Morte ſua complexum omnes, nullique negantem
Et vitæ, & mortis meritum, ſic omnibus ipſa
Auxilium, vireſque nouas inſpiro, libenſque
Tot mortes quot probra fero.

Gratia efficax.

Aſt ego victrices effectrix Gratia lauros,
Et palmas inuicta fero, nunquam obſtitit hoſtis,
Et ſemper potuit ; ſua vulnera læſus amauit,

Effeci

Effeci vt vinci vellet, vicique volentem.
Quas autem inſidias, caſſeſque, hamoſque tetendi
Arbitrio, vt falli vellet, neque falleret hamum,
Quem ſemper nudum expoſui, ne cæca voluntas
Eligeret quod non videt, affectuque coacto
Libertas rueret præceps, atque impete cæco;
Et vellet quod nollet amor.
Propterea exploro nutus, flexuſque, receſſuſque
Humani Arbitrij, quid amet, quid vellet amare,
Quid cupiat dum nil cupit; affectuſque futuros
Aſpicio monſtrante Deo, & pendentia vota,
Et libertatem volituram reddo volentem,
Dum præeo, nutumque ſequor; nec cogitur ire
Libertas quæ ſponte venit; nec lactea verba,
Et molles aditus, & congrua tempora fandi,
Arbitrium cogunt, præuidi pondera, nutuſque,
Et vacuos, nudoſque ſinus, & amabile ſemen
Injicio, quo ſponte ſua grauidata voluntas,
Communes mecum fœtus parit; ac velut arcem
Prouidus explorat ductor, quâ parte ſtruendus
Agger erit, qua parte eludet verbera murus,
Admittetve globos, vbi ſubterranea foſſa
Puluereum excipiet ſemen; quo vulnere flammæ
Erumpent, fractaſque voment ad ſydera turres,
Plura quoque explorat ductor, curâque ſagaci
Ante capit capiendam arcem: ſic Gratia victrix
Arbitrij nutus, atque hoc diſcrimine capto,
Obſideo volituram arcem, expugnoque volentem.
Non tales Salomon artes deſcribit amandi,
Nec tales ſponſi & ſponſæ meditantur amores;
Has ego dictaui inſidias, & cantica ſcripſi,
Et noſter cantatur amor.

Concordia gratiæ, & Liberi Arbitrij vmbra.


Hæc ego de vobis ſenſi, & concordia veſtri
Vna mihi doctrina fuit: gerit vtraque ſceptrum,
Vtrique imperium ſeruaui, & iura coronæ,
Et fines vtrique ſuos: nec gratia victrix
Arbitrij regnum minuit, nec victa voluntas
Imperij iura amittit, communibus armis
Vincitis, & palmam victrix, & victa meretur.
O bellum ſuperis dignum! ô concordia felix!
Et gemini pugnant hoſtes, & vterque triumphat,
Et palmam ſuperatus habet. Nec Gratia tantum
Efficiens addit robur, dextramque juuantem,
Ipſa etiam vires inſpirat, & arma miniſtrat
Gratia ſufficiens, poſſetque adjuta voluntas
Vincere ſi vinci vellet; nec defuit Euæ
Sufficiens virtus ementiti ora reuelans
Serpentis, fictoſque ſonos, & callida verba;
Et poterat pomum ridere, Deoſque futuros,
Et victrix Diuæ inſtar erat; tentauit Adamum
Promiſſa in pomo Deitas; & Gratia fraudes
Explicuit, viruſque latens, ſed fœmina vicit,
Et pejor ſerpente fuit: ſic Gratia ſemper
Efficiens vincit, ſic ſemper vincere poſſet
Gratia ſufficiens; quod ſemper fertilis illa,
Hæc ſemper ſterilis, ſterilem facit vna voluntas,
Fœcundam non ſola facit.
Hæc ego dum docui, quis nunc Ianſenius audet
Doctrinam violare meam? cur rumpere nomen,
Partirique fidem? ſcripſi quod Roma probauit,
Et damno quod Roma negat; cur quærit amicum
Ypra Auguſtinum, ſi Roma opponitur Ypræ,
Aut Ypram niſi Roma probat? fraus illa, doluſque
eſt

Velle

Velle Auguſtinum Auctorem, ne ſentiat hoſtem.
  Quid mihi cum monſtris fidei, qui monſtra ſubegi
Antiqua, & monſtris indixi bella futuris ?
Venturoſque hoſtes vici præſentibus armis,
Vincendique artem docui : ceſſate Lutheri,
Caluini, Bezæque noui prætexere nomen ,
Doctrinamque meam, nec diligit hæreſin vmbra,
Atque Vmbram timet illa meam : dic Gratia verax,
Tu quoque Libertas an verum dixerit Vmbra.

Gratia & Libertas.

Dixiſti quæ nunc oculis ſine nube beatis,
In Verbo ſplendere vides, ſpeculumque tuêris,
Monſtrantemque Deum ſpeculum.



LVDOVICO XIII.

CARMEN PANEGYRICVM ob expugnatam Rupellam.

PARS PRIMA.

APPARATVS AD BELLVM, & factioſa rebellium conſilia, hæreſis Rupellæ furit, rebellionem conſulit, in Angliam trajicit, bellum ſuadet, inde Volcas dum petit, Lugdunum peſte inficit, Nemauſum turbat, Rupellam redit, vnde dum nuntius Anglus redibit capiendus prædicitur.

XANTONICI Domina Oceani, Regina rebellis
Rupellæ, Allobrogis proles, & Alumna Genevæ,
Hæreſis, vt fama vulgante, & conſcia corda
Flagitij ſtimulante metu ſibi bella parari
Senſit & vltrices pœnas. Nunc hæreſis inquit
Grande aliquod molire nefas, quod crimine partum eſt
Seruetur ſcelere imperium; quid lenta vereris?

An

An ſcelus, an Regem? magnæ hæc ludibria mentis,
Cui ſemel in ludo Deus eſt; ex quo impia Regem,
Et graue prægnanti excuſſi de pectore Numen
Nulla animum iam culpa grauat; mihi Numinis inſtar
Arbitrium,& vitij ac virtutis norma libido eſt:
Quod ſi quæ virtutis adhuc per lumina mentis
Flamma micat, bello intereat; ſit martia virtus
Quod pacis graue crimen erat; macte inquit Erynnis,
Quid metuis? ſuprema licent cui extrema parantur?
Vndique ſuppetias coge, vndique ſydera, terras,
Atque Erebum ſub ſigna voca, quodcunque fauebit,
Hoc Regem, Numenque puta: ſi deſit Olympus,
Tartarus auxilio veniat, cui noxia virtus
Huic crimen Deus eſſe poteſt; mors, funera, cædes,
Peſtis, & innocuæ ditiſſima nomina pacis
Sæpe inclinatis ſunt proſpera nomina rebus.
Dixit,& horrendum infrendens tota vibe rebelles
In Regem furias deſpumat, prima veneni
Incantamenta afflati ſensêre Miniſtri,
Gens impoſtorum eſt alienæ addicta ruinæ,
Cui fratrum pretioſa fides, virtuſque, ſaluſque,
Vitaque prætentæ luduntur imagine formæ.
Hinc viduam Matrem petit, huic duo pignora lecti,
Euruſque & boreas, nec inani nomine dicti,
Hos mulier vana ad dextram læuamque locare,
In medio ipſa velit ſolio Zebedæa ſedêre,
Hæreticæ tria fulcra domus; hæc regia vota
Hæreſis, & ſacros regnandi exſuſcitat ignes.
En ait, æquales vobis fortuna coronas,
Et triplex diadema parat; qui maximus annis
Auſtrales Volcarum oras, Albamque, Nemauſumque
Imperio regat, & Romæ monimenta vetuſtæ
Euertat, ſtatuatque nouæ miſteria Romæ;
Oceani fines Aquilo, terraſque natantes,
Littoraque & regnis habeat vicina Britannis,
Rex minor Oceani: Rupellæ Regia Mater.

Æternam Imperij ſedem, & Capitolia fundet,
Ipſa orbi Papa, & Myſtes oracula reddat,
Gallia Caluino credat, Rhenuſque Luthero.
Hæc mea mens, & ſi pendentem euoluere nubem
Bellorum liceat, vobis hæc aurea fila
Lanificæ, triplex properant diadema Sorores;
Ecce ſed in veſtram armatur iurata ruinam
Gallia, prætentas inſtigat Roma querelas,
Exequitur rubeus Cardo: Rex credere pronus,
Et facilis quocunque ſequi; gens prodiga vitæ
Nobilitas, rubri ſequitur vexilla galeri,
Et pax in trabea, totumque in Cardine bellum eſt.
Opponenda armis ſunt arma, altaribus aræ,
Romanæ Rupella petræ, Rupique tuendæ
Patroni tutela orbis; ſi calce ſuperbo
Subjectum proculco ſolum, inclamatus ad arma
Tartarus, & iuſſi ſurgent ad bella Gigantes:
Sed nihil auxiliis opus eſt, cui publicus æther
Militat, Oceanus famulas ad iuſſa procellas,
Et vectigales aduoluit ad oſtia fluctus:
Quid claudi Rupella times, cui mundus aperto
Oceano, latoque fluunt Elementa canali?
Quare age Rupellâ generoſa includere Mater,
Oceano volitet Boreas, ego Regna Britanni
Perluſtro, hinc Volcas adeo, Rupemque reuiſo.
Hæc ait, & blandum inſpirat per membra venenum,
Infremuit Mater, peſtemque admiſit amicam.
Infelix mulier, magni infelicia partus
Pignora! magnanimæ quæ non decora inclyta famæ
Ferretis? ſi rectus amor veſtra arma moueret,
Nunc mendax vos zelus agit, nunc bella parantur,
In quibus & vinci turpe, & victoria probrum eſt.
Eia agite, & Regi heroës vos ſubdite veſtro;
Tunc ego præteritæ delebo opprobria famæ,
Et Matrem, natoſque, & auitæ laudis honores,
Tranſcribam memori ventura ad ſæcula laude.

Interea

Interea Oceano furiata excedit Erynnis,
Fatalis quacunque infert veſtigia plantæ,
Fatalis ſpargit lethalia grana veneni:
Contactu intumuit pelagus, vidêre natantem
Xantonicæ ripæ, viſuque hausêre venenum;
Itius obſtupuit portus, dumque eminus alba
Lilia miratur picto efflorescere dorſo,
Non inquit pietas, non hæc tibi lilia virtus
Impreſſit tergo, non hic decora illa geruntur,
Periuræ memini voluiſti imponere fronti
Hoc ſcelus, & tergo inſculptæ veſtigia culpæ;
I mala in extremos nunquam reditura Britannos.
Ipſa Anglos penetrat geſtus mentita decoros,
Nobilis inceſſum Franci, barbæque triſulcum
Cuſpidem, & errantes humeris, colloque capillos,
Oraque, millenoque oculatas lumine veſtes,
Hoc tantùm diſpar, ficti hæc mendacia vultus,
Nil Francus mendacis habet; tum forte recentis
Villerius nondum deterſo puluere probri,
Aptabat laceras Ræana è clade carinas,
Relliquias Schomberte tuas, tua fortia facta
Toëraſi, & præluſa meæ certamina Muſæ.
Sollicitum,& mœſtæ tergentem opprobria frontis
Sic eques aggreditur, quid te dubij alea Martis
Sollicitat? caſu Francus, tu marte ſecundo
Viciſti, quod nox hoſti, quod profuit æſtus
Oceani, quod non nocuit temerarius error,
Hic ludus fortuna tuus; quod nauibus æquor,
Quod per te alitibus fuerit vix peruius aër,
Quod bello acciſæ vires, quod turpis egeſtas,
Dedendæ leges, & fœdera ſcripſerat arcis,
Hæc animi ſunt ſigna tui; ſed vicerit hoſtis
Hoc ſi viciſſe eſt Ræa exceſſiſſe Britannum,
Hæc reditu delenda fuga eſt, non altera Ræa
Eſt caſtris vallanda tuis, Rupella tenenda eſt,
Illa tuos ſupplex ad propugnacula Pardos

Explicat, illa Anglo claues, & lilia monſtrat;
Non ſerta hæc ignota tibi, dudum illa Britannis
Inſuêuere hortis, & labro prona repando
Reginam agnouêre Roſam; repete Anglica iura,
Et veteres regni titulos, & patria ſceptra,
Amiſſæ pars magna rei ſub iura redibit,
Dum fiet Rupella obſes? quondam illa Britannis
Seruiuit non ſponte Roſis, nunc obuia claues
Mittit, & abſentem inuitat per mœnia Regem.
I celer, & plenis ingreſſus in oſtia velis,
Scandē arces vbi picta Angli iam regnat imago.
Hæc ait, atque animo flores & lilia pingit
Sub Dominis captiua Roſis; hinc alite greſſu
Ad Volcas rapitur; quacunque incedit odorem
Tabificum, & ſtygij ſpargit contagia roris;
Hæc peſtis cauſa, & graſſantis origo veneni:
Caluinum perhibent animam cum efflaret Auerno,
Hæredi populo dirum hoc mandaſſe ſupremis
Flagitium tabulis, bello cum cætera deeſſent
Auxilia, vt peſtem cognato accerſeret orco,
Ibat, & infames morbos ſub ſigna vocabat,
Lugduno tranſiſſe ferunt, ibi ſemina morbi
Sparſiſſe, & centro Regni inſeuiſſe venenum,
Vnde in finitimas latè ſuccreſceret oras.
O ſcelus, ô dignas flammis, plumbique liquentis
Rore manus, video vt peſtes, & clauſa ſerarum,
Antiquos valuarum obices, & garrula roſtra
Fontium, & horrentes dumos, idæaque poma,
Incultas inopum vites, inarataque rura,
Perfundunt ſanie, quin & luſtralibus vndis
Templorum ſtygij miſcent mala ſemina roris,
Cui parcat? quæ ſæua Deo non parcit Erynnis!
Iamque ad Volcarum fines delata Nemauſum
Deuolat, hic Euro rem totam ex ordine pandit,
Tentatos Anglorum animos, iurataque belli
Fœdera, & armandam communi milite claſſem;
Rupellæ

Rupellæ Dominam Matrem cum fratre relictam,
Et tu, inquit, miſce ciuilibus omnia turbis,
In patriam ciues, iurataque fœdera Regum
In regnum committe vnum; nec damna verêre,
Dum tibi diuiſæ veniat pars vna Coronæ,
Hoc munus turbare tuum; ſi ſacra profanis,
Fatalique orbem poſſis miſcere querela,
Tunc perturbatis pulchros Delphines in vndis,
Liliaque, & pleno piſcaberis æquore ſceptra.
Hæc ait, & leuibus pennis ſublata Geneuam
Tendit iter, terras vicina lacumque ſalutat
Natalem; his primùm fertur concepta ſub auris,
Caluini, matriſque ſtygis Cocytia proles!
Hic nigri viſuntur adhuc cunabula partus,
Et tectum, & diris vlulatæ vocibus ædes,
Expunctæ tabulæ, & præſenti numine templa
Exhauſta, & vacuis cœnacula plena figuris.
Muſa ſile patriâ quid conjuratit in vrbe
Hæreſis, & cœtus, & fœdera conſcia noctis,
Et ſtygios Manes ad Sacramenta vocatos.
Vitales referunt dum monſtrum infame ſub auras
Exiret, tota ad partum natura vlulante,
Et natum execrante ſcelus, coiiſſe Geneuam.
Tænareos cœtus, vbi Franci funera Regni,
Et fidei, & ſacræ iurata incendia Romæ;
Conſiliis Erebi offenſus ſubſcripſerat aër,
Illatas numerat meſſis centeſima cædes;
Nunc ſenio, & morbo monſtrum frigente laborat.
At ſtygiæ rurſus coëunt ad fata cateruæ,
Quis numeret medicas artes, & pharmaca longe
Quæſita, & Reges ad teſtamenta vocatos,
Non ita poſt Angli cognato nomine Regis
Promiſſam laturus opem legatus adibit,
Sed dum imprudenti releget veſtigia greſſu,
Borbonides heros caſſes & retia ponet,
Et meliore dolo peregrinum fallet Vlyſſem,

Et quas implicuit nodoſis artibus artes
Soluet, & ignotis ænigmata tecta figuris.
Dicitur hic magnas Europæ iuiſſe per vrbes,
Iuratamque fidem, & ſociorum fœdera Regum
Scripſiſſe ægroto medicamina regia monſtro,
Et niſi fata obſtent, & Regi Numen amicum,
Inuiſam monſtro potuit reparare ſalutem,
Sed fidei Lodoice tuæ fata vltima monſtri,
Debenturque tuo vitiorum funera Regno.

PARS SECVNDA.

OBSIDIO RVPELLÆ, Regis morbus, Deiparæ auxilium, terreſtris oppugnatio, agger in mari extructus, aduentus Spinolæ in caſtra, geminum cum Anglis nauale certamen.

RÆANIS Anglum interea pulſurus ab oris
Feſtinum Rex ibat iter; cum languida febris
Regalem ad villam generoſi incendia Regis,
Atque animos Regni penè vno frigore merſit.
Dicitur hæc inter gelidæ tentamina febris
Præſentem ſenſiſſe Deum, ſed & alma polorum
Regina affuſæ morbum medicamine lucis
Terſit, & affatu Regem demulſit amico.
O Cæli Lodoice fauor, tua vita Tonanti,
Et mores placuêre pij, talem eſſe decebat

Sub

Sub cuius mereat virtus ſtipendia ſignis,
Et ferrum miles pietas in crimina ſtringat:
Venturos metire dies, tibi tertia palma
Anglus erit, neve obſequium Rupella recuſet,
Parebunt elementa prius, natura præibit
Obſequio, fideique viam miracula ſternent.
Dixit, & in cælum leuibus ſe ſuſtulit alis,
Aſcenſu teſtata Deam; donoque parentem.
Muſa ſile anguſtis Ræanæ in finibus oræ
Mactatam Anglorum Claſſem, tranſmiſſa natatu
Æquora, & inuentos per clauſa elementa regreſſus,
Et pulſos pelago ſine claſſe, atque hoſte Britannos.
Hæc olim cantata meæ præludia Muſæ.
Gallia ſi noſſes proprias in prælia vires,
Quantùm vndis terraque vales, pridem orbis vterque,
Et Turca, & Solymi colerent tua lilia flores,
Quæ pugnæ, quæ palma tuo ſine ſanguine parta?
Quæ plaga, quæ regio Arctoæ ſub frigore Zonæ
Non armis tentata tuis? te milite nuper
Verrucam Italiæ, terrarum ignobile punctum,
Non domuit gemini victrix Hiſpania mundi;
Per te Ræano iacet Anglia littore victa
Hoc titulo, venit Leopardo audacior Anglus,
Vt Lepus occultas aufugit in Anſeris oras,
Qui Gallis olim nocuit, nunc profuit Anſer.
Et iam relliquiæ Anglorum, viduataque Claſſis
Milite, & æqualis numerus velorum, hominumque,
Fugerat exploſus Gallis, nec ab Anſere tutus.
At Rex ſollicitus fatis, & Virgine Matre
Promiſſam monſtrante viam, ſequor, ô ſequor, inquit,
Magna Parens, ſunt iſta tui monimenta fauoris,
Te bellum Rupella manet, tu petra rebellis,
Tu fundamentum erroris, fideique Charybdis,
Nec turres, nec me tua propugnacula terrent,
Nec mare, nec gemini duplex tutela elementi,
Vel ſi communis tecum natura rebellet,

Ibo audax contra, Chriſto duce, & auſpice Matre.
Hæc ait, & litui ſonitu conclamat ad arma;
Campus erat bibulo terræ præruptus hiatu,
Muta palus, ſtagnum fallax, loca lubrica ſaltu,
Ante vrbem ſuperanda palus? quot bella, quot hoſtes
Vincendi, vt propius tandem pugnare liceret?
Sed quò dum loquimur Regem mauortius ardor
Abripuit, iam ſe Majeſtas Regia totis
Explicuit campis, iàm lumine mœnia cinxit,
Iam vultu obſedit, iàm nutu caſtra locauit,
Imperio reſpondet opus, cum milite ductor,
Dum ducibus miles, permixti vtriſque calones,
Certatim incumbunt operi; gradus omnibus idem,
Obſequiis mandata ſequi; Rex ſparſus vbique
Imperiis onera exæquat, vultuque laborem
Subleuat, atque animos præſenti laude coronat.
Garrula quid tantùm Manuelem Græcia iactas,
Quod lapides humeris veheret, qui diuite gemmâ
Sublimis ferri potuit; Quid Roma Neronem
Quod mundum, corbemque humero geſtaret eodem?
Quid Conſtantinum quod foſſæ pondera terræ
Egereret dorſo, vili ſub pondere maior,
Quam dum humeris victi ſuſtentat pondera mundi;
Non minor exemplo Lodoicus pondera tactu
Prælibat, tactuque ſuo leuiora relinquit.
Plus oculi fecêre manu, duo ſydera dicas,
Sic onera illuſtrant radiis, ſic robora feſſis
Inſpirant, ſiccantque expreſſas frontibus vndas.
Iamque nouæ Rupellam arces, noua mœnia cingunt,
Iam tres metitur communis linea leucas,
Debuit hæc zona vndantem cohibere furorem;
Sed terræ quid clauſtra iuuant, dum littus apertum
Clauſum aperit captiuæ orbem; ſecura ſedebat
In portu, nutuque Anglum Rupella vocabat
Auxilio, certæ promittens lilia prædæ.
Quæ clades metuenda mihi, ſi ſola reſiſto?

Quæ pugna æqualis ſi non mecum æmula pugno?
Quid poſſim vincendo ſcio; niſi Numina mecum
Bella gerant, victi fient mihi victima Reges:
Sydera ſi pugnent, pro rupe armabitur orcus;
Naturæ, dominæque artis me robora valiant,
Vt vincar, mecum pereant elementa neceſſe eſt.
Terrarum quid clauſtra times, cui regna profundi,
Et gemini pelago proſtant commercia Cæli.
LVDOVICE tua eſt vincendæ gloria rupis,
Nobilior tanto victoria ſurget ab hoſte,
Iam ceſsêre tibi terræ, mox æquora cedent.
Calliope extructum cane formidabile vallum,
Impoſitum Oceano vallum, quod ſerior ætas
Dum leget, ô homines nunc dicet ſecula Patrum
Artifices habuêre Deos! Qui condidit author
Dum ſtupet in mediis manibus miracula naſci.
Vix credit quod fundat opus: veſtigia miles
Imprimit, & medio ſecurus in æquore ridet;
Hinc ignes Rupella tuos defenſus ab vndis,
Hinc vndas Neptune tuas hoc aggere tutus.
Principio trunci, & proceræ fragmine quercus
Defixa Oceani fundo, directaque ligna
In quadrum, ſectaſque cruces, & propede talo
Erectæ in decliue trabes, vt miſſa ſaburra,
Et lapidum, & ruptæ vægrandia pondera rupis,
Hærerent ſyluæ implexis deuincta lacertis.
Hæc facies operis: nutabat ſaxea moles
Ponderibus librata ſuis, diuiſus hiabat
Murus, & admiſſos per hiulca foramina fluctus.
Reddebat pelago; verùm indignata procella
Anguſtum callem luctatur, & objice rupto
Exiliens, ſociis lata oſtia diuidit vndis.
Non nocuit jactura diu, ſe prodidit hoſtis.
Vnda ſibi, nam dum malecocti vulnera muri
Incauti ſubeunt fluctus, & ſoluere crudam
Compagem obnixi tentant, calcemque, lutumque

Conuectant,

Conuectant, vdoque incruſtant mœnia limo;
Tranſibant eadem nunquam per limina fluctus
Lapſuri, obducit ſocius quæ vulnera primus
Fecerat, & primis vndis nocuêre ſecundæ.
Nec tamen his pelagi feruor retinetur habenis,
Quo magis à ripa moles operoſa recedit,
Hoc terrâ excluſum pelagus ſublimius exit;
Aëre compenſans iacturam, hinc lumine toruo
Subjectum deſpectat opus, mox agmine facto
Tranſilit, & ſaltu violata repagula ridet.
Iam terris terræ dêerant, & robora ſyluis,
Quæ ventrem implerent auidum, pelagique vetarent
Effuſas per inane vias; ad cætera ſigna
Hoc quoque prodigium acceſſit, ſoboleſcere viſi
Fœcundi in venis lapides, & cædua ſylua
Sub manibus, naſcique nouæ ſub vulnere plantæ.
Ergo viſceribus pelagi penetralia terræ,
Et ſaxa, & quercus grauidæ noua germina ſyluæ,
Totaque confuſo demergitur æquore tellus.
Denique ſublimis toto viſenda profundo,
In mediis latè ſtetit ardua porticus vndis;
Rupellæ exitium minitans, Angliſque timorem.
Obſequium Regi, & læſo reuerentiam Olympo.
Manſit hians medio tolerabilis æquore labes,
Ne deſperaret Neptunus: ſcilicet vndis
Nolebas faciles prohibere ad mœnia lapſus,
Ne ſcelus elabi poſſet prohibere volebas:
Permiſiſti vndis iter, vt ſpumante fragore
Vocales vrbem moneant, ne crede rebellis
Venturos quâ vix pertranſiit vnda Britannos,
Cede Deo & Regi rupes, nec vincla recuſa,
Quæ tu ne fugeres, primæ admisêre procellæ.
Hæc alter latij Fabius, virtutis Iberæ
Æternum, externumque decus, dum Spinola luſtrat,
Dum circumductas ambit per mœnia foſſas,
Erectaſque arces numerat, totaque corona
Murorum

Murorum per tres caſtella interſita leucas,
Nunc inquit captæ creſcit mihi gloria Bredæ
Dum Francis ars noſtra placet; ſed dum æquore vallum
Extructum, obſeſſos fluctus, injectaque ponto
Vincla videt, nunc inquit habes quod Spinola diſcas,
Tu ſuperare vrbes, docet æquora vincere Francus.
Felices Francorum acies, quibus imperat idem,
Rex idem exemplo præit, & cum milite Dux eſt:
Quam multis laus iſta deeſt! At tu optime Regum
Ne tantùm Oceano metas, & vincula pone,
Te fata ad maiora vocant; iam Turcica luna.
Et ſol iuratus Perſis, totoque Oriente
Stellarum venerata cohors, iam ſceptra requirit
Virtutemque tuam, Dominos pertæſa profanos:
Has tamen vt lauros, & palmæ inſignia carpas,
Cognatos Reges magnis adjunge triumphis:
Tunc ego vel Regi miles communis vtrique,
Vel ductor pulchri tentabo pericula belli.
Hæc Fabius, quid ſi reliquæ miracula molis
Vidiſſet? quid ſi medio quâ pontus hiatu
Diſcedit longi funalia candelabri,
Vt prælucerent timidis ad bella Britannis,
Impactaſque trabes pelago, tranſuerſaque ligna,
Præfixæque vndis armata triangula ſyluæ.
Parte aliâ obſeſſam vallum quâ reſpicit vrbem,
Demerſæ pelago naues, nexique rudentes
Oceani labem obturant, nec deficit vndis
Agger, vbi læſus medio hiſcit vulnere pontus.
O domitas pelagi vires! violataque rerum
Fœdera, & humanæ pluſquam miracula dextræ!
Quis credat, ſine fundo hæſit firmiſſima moles,
Nec vaga nutauit validis ſuccuſſa procellis.
Dicuntur quoties vndæ infremuiſſe tumentes,
Et dum prætentos obices violare laborant,
Spumantque obnixæ fruſtra, tum ferre repulſam
Indociles, ſurſum ferri indignante furore:

Mox irâ poſitâ, & ſenſim languentibus vndis,
Victrici dociles ſe ſe ſubmittere vallo,
Et dominam molem famulis adlambere lymphis.
Ibunt ad ſeros Lodoice hæc fata nepotes,
Credet poſteritas fieri miracula poſſe,
Imperiis patrata tuis! monimenta triumphi
Fient clauſtra maris; ventura docebitur ætas
Vt parêre cliens diſcat Rupella, præire
Obſequiis elementa ſuis! vtque hæreſin vnda
Obruat, ad iuſſas hærere, & currere metas.
Prodigium quondam fuerat prætenta catena
Oceano, nexuſque rudens commercia rumpens,
Tu pelago vallum Lodoice & mœnia ponis;
Credite poſteritas victæ ſtant ſponte procellæ,
Et fluctus ſacro pendent horrore librati.
Rex hominum Xerxes Seſto commiſit Abydon,
Europamque Aſiæ, tabulatáque æquora ſtrauit
Arbore, nec mirum hæc ſedes natiua carinis;
Bajani quartus Cæſar per littora ſtagni
Securum tabulauit iter; verùm vtra poteſtas
Nobilior? ſaxa an ſyluas inferre profundo?
Pellæus iuuenis ſtrato ponte æquora junxit:
Sed Tyrium ſemel ignis opus ſuccendit, & vnda
Non ſemel abripuit; vincentemque omnia Regem
Victrices Tyrij maris irriſere procellæ.
Maior Alexandro es Lodoice, & Cæſare maior,
Terra illis inuita ſubeſt, ſpontanea nutus
Obſeruant elementa tuos; ſed parco triumphos
Dicere dum pugnas hoſtis, palmaſque miniſtrat.
Ecce etenim profugus Ræanis Anglus ab oris
Turbat adhuc, nondum fœda ſe à ſtrage recepit,
Acceptâ cum clade tumens, iterumque, iterumque,
Vinci optat, Francæque prehenſat vulnera dextræ;
Nec tamen inſulto victis, Rupella fefellit,
Dum victos ad fata vocat victa ipſa Britannos;
Pendent è muris victi vexilla Britanni,

Permixtos

Permixtos credas Pardis rugire Leones,
Mox lepores fient; quantùm picta audet imago
Tantùm Anglus metuet vinci; tamen ecce Britannæ
Aduentant pelago claſſes, ſub mole laborat
Oceanus, preſſique timent ſub gurgite piſces;
O nimis audacem armatos ſi vincere ſperet,
Qui nuper nudis cecidit rea victima Francis:
Nunc etiam longè ſtetit vltra vulneris ictum,
Anxius, & ſolis hoſtem tentauit ocellis.
Dicite quæ veſtris Angli vos cauſa vocauit
Littoribus? noſtraſne oculis incendere moles
Quæritis? at vobis oculi nec fulmina mittunt,
Nec flammas moles metuit, quæ deſpicit vndas;
An lautas longè obſeſſis oſtendere menſas?
At non oſtenſis tantum bene viuitur eſcis,
Viſaque ieiunas irritant fercula fauces:
Fallor, captiuos aut tantùm inuiſere fratres;
Aut dare veniſtis mœſtis ſolatia rebus,
Et caſuram vrbem vicino aſpergere fletu.
Denique ſolemni puduit ſine clade reuerti,
Ecce iterum pelago aduentant, claſſemque reducunt,
Quæ flammis, Indumque armis viciſſet vtrumque;
Sed Francus non Indus erat, vincendaque moles,
Et vallo melior qui pugnat ab aggere miles,
Iamque propinquabat ventis afflata ſecundis,
Si pergat facili ſeſe infuſura Canali;
Forte fatigato nudatum milite vallum,
Littoraque, & naues, tormentaque puluere laſſa,
Et nocte inductos carpebant omnia ſomnos,
Captandæque Anglis præbebant otia prædæ.
Siſte tamen Saxo, tutique quieſcite Franci,
Pro vobis oculo vigilant elementa fideli,
Ecce tibi plenis currentia carbaſa ventis,
Et faciles ſubitura ſinus, ſubito aura relinquit;
Nec dubium cohibente Deo: dumque anchora Claſſem,
Et proprium cunctatur onus, conſurgit ad arma
Francus,

Francus, & armatus littus, vallumque coronat,
Et pro ſe curis intenta elementa relaxat,
Pugnantemque Deum? Quid tu Lodoice parabas
Intereà, tu pluſquam vnus, tu multus vbique,
Tu ductor, mileſque idem, præſcribis agenda,
Et facis, idem ignes tormentaque vulnere certo
Dirigis, idem acies terra partiris, & vndis,
Idem hoſtem cuique aſſignas, & tu omnibus hoſtis
Hortaris quemque ad pugnam, dextrâque loquaci
Multa doces, & plura facis.
Dic proprio Regi, laudatus nomine miles
Quos animos laus illa dedit? Dic alter, & alter
Illuſtris quanti emiſſes diſcrimina lethi?
Quanti vnum emiſſes Anglum, quem iudice Rege,
Et teſte, audaci mactaſſes fulmine dextræ!
Dicendum eſt vel te inuito, tu magnus vbique,
In teneris etiam cunis Lodoice timendus,
Naſcenti dum terra tremit, palmaſque futuras
Nuntiat, & magnos olim præſaga triumphos;
Dicendum tamen, hoc nunquam certamine maior?
Vidit pugnantem miles, Martemque putauit,
Vidit te orantem miles, Numenque putauit,
Si Numen mortale eſſet; toto orbe volarunt
Hæ voces Lodoice tuæ: Magni arbiter orbis
Hæc fidei niſi cauſa tuæ eſt, in me omnia tela,
Et vindex Cæli ira tonet; ſed ſi tua cauſa,
Et fidei violatur honor, tibi victima fiat
Anglus, & æterni vindex ſit francus honoris.
Hæc ait, & ſegnes irritat ad arma Britannos,
Vix etiam ſtimulos, & læſæ opprobria famæ,
Percipiunt, qui damna priùs, ſupremaque mundo
Iactabant fata, & faceret ſi incendia lingua,
Sat mundi exitio flammæque, piciſque ferebant.
Mutaſti Lodoice vices, Tu fulmen & ignis,
Nil Anglus niſi frigus erat: ſic frigidus ipſe
Fulmineas mittit naues, ſic fulmina Francus

Et naues mediis vnco defigit in vndis:
Si, dum collucet ſolemnibus Anglia flammis,
Externo victor Francus lætatur in igne.
Nec grauiùs tormenta nocent, dum noſtra verentur,
Citra ictum ſua tela vibrant; ſic vulnera ſolus
Ventus habet, totumq; Anglorum in puluere bellũ eſt.
Quam vos diſſimiles veſtris cum nauibus Angli?
Proceræ vobis naues, anguſtaque corda,
At ſimiles, illæ vobiſcum ad prælia tardæ.
Macti animis, non hæc vobis inhonora Britanni
Alea Martis erit, memorique hoc carmine viuet.
Anglus non potuit ferro reſcindere vallum,
Tentauit violare oculis, promiſerat eſcas,
Oſtendit, viſuque famen deluſit inani:
Debuit auxiliis obſeſſam ſoluere Rupem,
Dedendæ ſpectator erit, teſtiſque triumphi:
Tardè ad ſubſidium, mature ad funera venit.

PARS TERTIA.

EXHORTATIO AD RVPELLAM vt Regi ſe dedat, eiuſdem obſtinatio, fames, deditio, Regis ingreſſus in vrbem, murorum, & aggeris maritimi euerſio, ruinæ fragor auditur in Italia, Alpes & Suſam aperit, Caſalis obſidionem ſoluit, Romæ oraculum.

INTEREA quid tu victos Rupella Britannos
Auxilio imploras? ipſi ad certamina Franci
Inuitant

Inuitant, victique Angli pugnare recuſant :
Quid proſint aliis victi ſibi ? profice damnis
Ne pereas Rupella tuis ; vincique decorum,
Cognatis crede exemplis. Si nomen honeſtum
Prætendis, menſes denos inuicta ſteriſti,
Pauci Anglum domuêre dies : ſi tempora captas
Opportuna reis, victis ſuccede Britannis,
Inter lætitias, & feſtæ gaudia pompæ,
Vindictæ dum cauſa deeſt, dum leniit iras
Anglus, & vltoris molliuit vulnera ferri.
Subjectis facilis parcet, cui fulmen in hoſtem
Defuit, & fulmen feſto ſi tempore vibret,
Solemnes fient fulmen ſine vulnere flammæ,
Ne Regi ſtimulos irarum, & tela miniſtra,
Aut iuſtæ fulmen fient tua crimina dextræ,
Et telis offenſa ſuis Rupella peribit :
Nunc pacem tibi cuncta rogant, Venetuſque, Ligurque,
Et veniam Roma ipſa petit, fortuna Caſalis
Adjuuat, & Regem inuitans ſua vulnera monſtrat :
Ne Regem Rupella tene, nec fœdera pacis
Reſpue, vt Italiæ pacemque & fœdera reddas.
Quid libertatem renuis, quam ſubditus offert
Oceanus, Regique tuo ſeruire prehenſat ?
Denique quid ſperas Rupella ? an mutua fratrum
Auxilia, hic Anglos fallaci Aquilone feſellit,
Hunc Princeps iam iamque tenet ; cœline fauorem ?
Stant omnes pro Rege Dij, ſi qua impia reſtant
Numina, nunc aris etiam ceſſere relictis,
Sit ſatis heu miſeræ poſt fata Deoſque ſteriſſe.
Nec me, inquit, victuſque Anglus, fatumque Caſalis,
Nec Cœlum, nec fata mouent, externa ruina eſt
Extra Rupellam quidquid perit ; integra reſtat
Intra orbem natura meum, cum pontus, & aër,
Cum deérunt elementa mihi, tunc denique vinci
Incipiam, vinci debet poſt omnia virtus ;
Hæc quoque cum deérint, palmæ ne gloria deſit,
Deſperabo,

Deſperabo, mihique ipſi victoria fiam.
,Deſperare breui incipies, hæc prima furoris
Argumenta tui, & vacuæ deliria mentis,
Vel rabidi ſunt ſigna animi; iam libera rerum
Rupellæ natura deeſt, iam mœnibus vrbis
Incluſa incipiunt ſenſim languere elementa.
Obſeſſa Bacchus pridem diffugerat vrbe,
Pro Baccho Neptunus erat, nunc horrea linquit
Blanda Ceres, herbaſque fami ſupponit alendæ:
Herbæ vbi deficiant, ad Martem ad prælia nati
Cædũtur pro bobus equi, hæc quoque victima rata eſt;
Latrabant vigiles catuli per aperta domorum,
Fidi etiam pereunt catuli; nec latro timetur
Dum furto res nulla ſubeſt; queis nauſea perdix
Et lepus, & pingues fuerant faſtidia cerui,
Delicias in mure locant; torretur ad ignem
Infamis cibus, & pretioſo ornatur in auro,
Cunctaque ſunt meliora cibis, defecerat ignis,
Et quidquid flammæ torrent; hinc corpora ſenſim
Deficere, & membris ieiunæ areſcere vires:.
In peſtem neglecta fames, & funera tranſit,
Aſpectu morbus creſcit, crimenque putatur
Occurriſſe Patri, & Matrem vidiſſe nefauſtum eſt,
Alterius timet alter opem; mors vitaque certant.
Vita grauis, votumque mori; nec habetur vtrumque
Deliciæ iam virus erat; venduntur in auro
Toxica, mors emitur pretio quo vita carebat:
Iam nihil ad victum turpe eſt; placet eſca palato
Quæ viſus quondam horror erat. Ne ſecula Muſa
Et ſcelus enarra quod qui videt omnia Phœbus
Ne videat, timidas olim retraxit habenas.
Et celeres auertit equos horrore furentes,
Et catuit funeſta ſuo Rupella Tyeſte,
Nec Progne vna fuit, nec tantum matribus vnus
Poſt epulas ploratur Itys: projecta jacebant
Interea, nudoque intecta cadauera Cælo,

Vicinas

Vicinas circum afflabant fœtoribus auras:
Fiebant monumenta domus, Rupella ſepulchrum,
Nec tamen in tumulos tellus ſatis ampla patebat:
Deerant qui foſſa celarent corpora terrâ;
Et prope iam deerant diræ noua funera peſti.
Quo zelus Rupella tuus, quo faſtus abiuit?
Diſce iugum captiua pati, totieſque ſubacta
Diſce ſemel vinci; iam te natura reliquit,
Iam deſunt elementa tibi; quid ſola rebellis
Expectas, nec te Regi rerum vltima dedis?
Ecce jacent nudis intecta cadauera vicis,
Hoc quoque quod ſupereſt media vix parte ſuperſtes
Viuit, & enectis ſentit iam funera membris,
Iam vacuæ cultore domus, & mœnia nuda,
Et turres cuſtode vacant; vix oſtia miles
Defendit, pendent librata è mœnibus vrbis
Tormenta, & librator abeſt qui explodat in hoſtem.
Denique fugerunt horæ, quas ipſa ſonantis
Incluſas rotulis ſphæræ, inuitare Britannum
Miſiſti ad ſociæ connubia règia ſponſæ.
Cede Deo Rupes, victorique oſtia Regi
Pande libens, dum robur adhuc recludere poſtes:
Si renuis deerunt breui ad hæc quoque munera vires.
Denique victorem Rupellæ mœnia Regem
Admittunt: felix lucebat, & omnibus vna
Cœlitibus votiua dies, hac luce patentes
Ingrederis Lodoice fores, non impare greſſu
Quo ſuperi incedunt; & tu nouus Indiges olim
Stellarum augebis numerum, ſic Numina viuus,
Non procul exæquas, nam te non ira, furorque,
Non atrox vindicta præit; clementia magnum
Sternit iter, pietas comes eſt, ſemotaque longe
Iuſtitia à tergo ſequitur; pompam eſſe putares
Qua patriâ pietas exul reuocatur ad aras,
Vidiſſes ſiccas reptare ex ædibus vmbras,
Vt pulchrum aſpiciant Solem, Regemque ſalutent,

Sed dum ſemineces oculos attollere tentant,
Relliquiaſque animæ collecta in voce fatigant,
Deficiunt, mediiſque animas in vocibus efflant.
Hoc Regis primum imperium, non vincula captis
Addere, non cæcis includere carceris vmbris,
Vincla fames, & carcer erat: ſed porgere egenæ
Dona fami; hic ægrè languentem ad munera dextram
Subleuat, hic laſſus recidit dum aſſurgere tentat;
Ingemuit miles viſu, & pro vindice ferro
Porrexit panem, & victo ſuperatus ab hoſte eſt.
Hæc pietas: almæ debent ſua iura relinqui
Iuſtitiæ, hæc turres, & propugnacula, & arces,
Et triplicem muri zonam, ſublimeque vallum
Suffodere, & latâ jubet exæquare ruina,
Iuſſaque vicinas circum partitur in vrbes.
Imperium Regis ſenſit Neptunus, & vndas,
Squammoſamque maris plebem, tumidaſque procellas
Aduocat, heus, inquit, magni me limina valli
Subtuere, & regni delere opprobria noſtri
Per Regem licet, & poſitis exire catenis.
Hæc ait, & primus caua fundamenta tridente
Scrutatur, mox annixi Tritonque, Palæmonque,
Et Glaucus, magnique phalanx armata profundi,
Impulſam euertunt molem, pontoque canalem
Reſtituunt, vetitiſque prius ſpatiantur in vndis.
O Regis vocem, & dominæ miracula linguæ!
Hoc vallum inuito captiua quod æquora dorſo
Durarunt, quod nec violenti flamina venti,
Nec pelagi feruor, nec concuſsêre procellæ;
Quod conjurati duplex exercitus Angli
Vidit, & aſpectu obriguit; mirabile vallum
Arbitrio Regis ſtetit, & nunc munere functum,
Ad Regis nutum Oceano impellente fatiſcit.
Denique Rupellæ durum ac immobile ſaxum
Corruit, & magnæ Europam fragmenta ruinæ
Impleuêre: Alpes audito murmure ruptæ

In

In faciles patuêre vias. Euaſius ictu
Audito, hoc inquit, ſtabunt mea mœnia caſu,
Parua nec illudes capto Verruca Caſali;
Suſani tremuêre obices; Roma ipſa fragorem
Excidij, pelagoque Angli fugientia vela
Impellente metu remos, Michaëlis ab arce
Vidit, & irriſit; macte inquit France, Britannum
Frangeret in triplici ſimilis victoria portu,
Iuratumque Petro votiua Britannia naulum
Penderet: I velox Lodoice, & pace ſtatuta
Italiæ, deuota tibi pete regna per vndas,
Ad boream te fata vocant; huc ire vel vltor,
Vel victor, vel vterque potes: quocunque ſequêris
Iuſtitia præeunte ibis; tamen ante remota
Heroum quàm regna petas, compone rebellis
Relliquias fidei, facilis victoria trunci
Cui ceruix Rupella deeſt; iam victa Nemauſus,
Albaque, Caſtrenſeſque, Gebennique ardua montis,
Rupellæ dum fata timent, vel ſponte patebunt,
Vel claues Rupella dabit, perge optime Regum,
I celer, & ſceptris victor te oſtende futuris,
Inde alias ſectare plagas; tibi magna parantur
Imperia, vt curras nunquam velocius ibis,
Cui magnum patet orbis iter; dicenda ſuperſunt
Plura mihi; dabitur ſermonis tutior hora,
Cum reducem, & pulchri conſperſum puluere belli
Excipiam, & magni deductum ad limina Petri
Vrbanvs cuius doctis apis attica labris
Inſidet, & ſancto mel purum emanat ab ore,
Laudibus ornabit, quæque olim ſceptra ſecundus
Tradidit, octauus reddet, Solymæque coronæ
Et Lunam, & Solem, & ſtellas adjunget eoas.

PROSOPOPEIA
ANGLIÆ POST RÆANAM INSVLAM
obſidione liberatam.

ANGLIA quàm felix olim! cum ſceptra, cruceſq;
Dextra meas diſpar gereret, cum ſacra profanis
Differrent, nec frons eadem vittaſque, apiceſque
Præferret, geminoque humerus ſudaret in oſtro;
Ex quo permixtum eſt ſacræ diadema Tiaræ
Cuncta tulit ſublata fides; ſed damna vetuſta
Quid memoro, grauius præſenti clade fatigor,
Et vereor ne ſint venturæ oſtenta ruinæ.
Illa ego cærulei quondam regina profundi,
Victrices cuius claſſes, & ſimus Iappon,
Et Sinæ imberbes, orbique incognitus orbis
Victus adorauit, timuerunt cætera vinci:
Illa ego poſt toto collectas æquore prædas,
Vincor Ræanæ fatali in limite terræ,
Ignotoſque orbis portus, & laudis egentes
Vt clade attollam memori, nomenque decuſque;
Et palmas humili ridenda in littore pono;
Et nunc Ræa meis illuſtris & inclyta damnis
Oſtentat probroſa meæ monimenta ruinæ;
Hic limes rerum, & triplex hoc funere regnum
Mergitur, anguſtoque cadit magna Anglia portu.

At non Villeri non hæc promiſſa dediſti,
Cum tecum abducens delectæ robora pubis,
Et puppes, & ſigna meis ſpirantia Pardis,
Et gazas, & opes, & vectigalia ſecli
Venturi, & ſeris pendenda nepotibus æra
Lugentem, patriaque omnes de laude mouentem,
Iuſſiſti certos Franca de Gente triumphos
Sperare, & noſtris labyrinthum texere in hortis;
Lilia vbi plantis flerent captiua ſub Anglis,
Et nunc tota tibi ſterilíſque & inutilis æſtas
Exiguæ periit conſumpta in ceſpite terræ,
Quam propriæ auulſam ſedis radice per auras
Aut rapere, aut vaſtæ potuiſti imponere claſſi,
Vile onus, & terris ſulcandam inferre Britannis.
Interea dum tu lento trahis otia portu,
Obſeſſus turres, & mœnia ſubſtruit hoſtis,
Et quas non patitur contractior inſula moles,
Extendit vacuo vaga propugnacula Olympo,
Et cælo ſpatium petit, ædificatque per auras,
Hæc vita obſeſſis, dumque ori fercula deſunt,
Membra labor, virtuſque animos ſpe lactat alumna,
At tibi vix toto pretioſa annona profundo
Conuehitur, pigriſque cibis elementa laborant,
Nec ſatis in ſumptus eſt Anglia: quæ magis vrit
Me cura, & grauiùs turpis pudor inficit ora;
Nec centum ingentes pinus, nec in æquore ſylua
Arboribus denſata meis, nec miles & arma
Anguſtos potuere hoſti defendere portus,
Et clauſas prohibere vias; pudet acta referre,
Biſdeni exigui lintres, quos obuia claſſis
Excipere, atque aluo potuit ſorbere capaci
Exiguam ventris prædam, tamen agmine iuncto
Tranſtra per aduerſaſque trabes, tenſoſque rudentes,
Per cœli, noctiſque vmbras, per tela, per enſes,
Per flammas, piceamque diem, perque omnia clauſa
Inuenêre viam, portuque inuecta ſupellex

Fertur

Fertur in obſeſſas arces; hæc quiſquis ô olim
Accipies, ne ficta puta, nec dum æquora clauſa,
Obſeſſoſque audis, & claſſe & milite portus,
Supplementa famis celeres delata per auras,
Aut cœlo delapſa puta; quo credere poſſis
Emeritos, primiſque pares heroïbus auſus,
Iurata in proprium teſtor victa Anglia probrum,
Vulneribuſque meis, & certo ſanguine ſigno.
Quid referam euentus belli? iam littore victor
Infert ſe terræ Francus, committitur impar
Pugna, cadunt, fugiunt Angli, terrâque marique
Vincor, nec numerus prodeſt, nec tela, locuſque,
Quod potuit fauiſſe nocet; premis arduus hoſtis,
Imminet, incumbit, ferit, & dum plurimus inſtat,
Inſtandi ſpatium totus rapit; vna ſecuris
Vt perhibent, truncos quinque à radicibus imis
Subruit, emeritâ deinceps falx digna ſub vmbra
Ceſſare, & ferias illuſtri hoc ducere verbo,
Et Meſſi falx vna ſatis: quos denique viuos
Non poterat vix iam breuior capit inſula cæſos,
Inque nouo natat Oceano, ſternuntur vbique,
Fitque alter caſus primo, exitiumque ſequenti;
Strata jacent breuibus denſata cadauera glebis,
Nec ſatis in tumulos tellus patet; æquora turpes
Relliquias inuita ferunt, patriæque remittunt.
Has ego relliquias vt vidi, & inania tranſtra,
Et vacuas armis puppes, quas milite plenas
Miſeram, vt æqualē numerum velorum, hominumque
Anglia, vixiſti, dixi, Rupella ſtetiſti;
Nunc mecum tua fata ruunt, ſed prima peribis,
Præludent tua fata meis.
Hæc tamen hora mea eſt, hanc ſi ſciat Indus vterque
Clade mea fatalem horam, ſubſannet vterque
Indus, & extremo vincet me Francus in orbe.
Quanquam ego quid metuo? hæc aliis ridenda ruina,
Exoptanda mihi, properant fata illa beata,

Fata, quibus regnis virtus proſcripta Britannis,
Et pietas, & ſancta fides armata redibit,
Vnde armis expulſa fuit; rurſum Anglia Cœlo
Florebo, rurſumque meos Edoarde per hortos
Fragrabis, veſtro hi flores de ſanguine ſurgent
Heroes fidei, tua erit, tua gloria France,
Ludouice veni, meritamque vlciſcere gentem,
Dummodo flagitij virtus vindicta, meæque
Perfidiæ ſit pœna fides, dumque Anglia Franco
Iungitur, vna fides Francis dominetur & Anglis.

EPISTOLA VRBANI VIII. SVMMI PONTIFICIS, AD ILLVSTRISSIMVM TOERASIVM, Poſt ſeruatam Ræam.

VRBANI generoſus amor, fortiſſime fili,
Virtutis fama alta tuæ, & par dextera famæ
Digna eſt in laudes cui Muſa Vrbana laboret,
Et patriæ modulentur Apes.

Fumantem

Fumantem Anglorum Romano ex Tybride Claſſem
Vidimus, impleuit Capitolia noſtra ſonorus
Flammarum crepitus, vicina per æquora latè
Stridet adhuc cladis murmur, clamatque Britannos
Ad Ræam cecidiſſe reos: Tua dextera fili
Vicit, Io vicit, diuina & regia tela
In manibus tonuere tuis: communibus armis
Contemptas Petri claues, & Regia iura
Vltus es; & fortis Regi tutela fuiſti,
Defenſorque Petro: ſed non hoc Anglica Claſſis
Sperabat, dum fœta viris, armiſque ſuperba,
Iactabat veteres titulos, & lilia quondam
Sub Dominis captiua Roſis, & nunc quoque florum
Delapſam cælo triadem violare parabat,
Partirique ſibi; ſed neſcit vulnera Cælum,
Nec patitur ſegmenta Trias: temeraria Claſſis
In puncto periit, dum Regnum & lilia tentat.
Vidimus infirmas crebris aſſultibus arces
Pulſari; raros homines, morbuſque, fameſque
Fecerat, at Tu vnus morbumque, Anglumque, fa-
memque
Viciſti, & triplex in laudem proficit hoſtis.
Vidimus infeſtis acies concurrere ſignis,
Incubuere Anglis Franci, totidemque leones
Vt pardos pepulere Anglos; Toëraſius inſtar
Fulminis, vrgendo punctim, cæſimque metendo
Obuia quæque rapit; fugiuntque, caduntque Britanni,
Et breuior patet ora fugæ.
Ergo age cùm noſtris accreſcat laurea vittis,
Quæ fidei accreſcit, Lodoici applaudo triumphis,
Et meritis dilecte tuis; tua gloria, fili
Viuet, io viuet, dum Muſa Vrbana vigebit,
Et memori obſcuram celebrabit carmine Ræam.
Sperabant Angli Regna, inuenêre ſepulchra,
Ad Ræam periere Rei; cepere ſepulti
Quam non ceperunt viui; digna Inſula nomen

Sortiri melius, iuſta eſt quæ lilia ſeruat,
Et quam Toëraſius ſeruat, Toëraſia terra eſt.

PARS TERTIA.

ECLOGÆ & SYLVÆ.

SYLVA PRIMA.

ARISTVS PASTOR.

PASTOR Ariſtus erat, cui plebs dilecta bidentum
Arebat languente ſiti; defecerat humor
Fontibus, & triſti ſolus ſuperabat Ariſto
Sanguinis & lachrymarũ humor; poſt vota, preceſque,
Durus adhuc morbi cauſam celabat Apollo;
Optanti fit Numen amor, morboque medelam
Suggerit, vt peſtem lachrymis & ſanguine potet,
Et fiat fons ipſe gregi; veneratus amoris
Ingenium, venam ferro ſcrutatur Ariſtus,
Ferreus ipſe ſibi, lachrymiſque & ſanguine rorans,
Fit duplex ouibus fluuius.
Innixuſque pedo, dextramque & vulnera tendens,
Ad potum lacrymante gregem inuitabat auenâ;
Currite lanigenæ pecudes, guſtate fluenta

Et latices quos fodit amor, pietaſque recluſit;
Ex oculis vndæ rorant, è vulnere ſanguis
Profluit, hic vobis riuus decurrit vterque,
Impenſis & vterque meis; ne parcite fonti,
Dum ſiſtet ſupplebit amor; felicia venæ
Vulnera, felices lacrymæ, ſi viuat ouile
Paſtoris per damna ſui?
  Interea lacrymis pecudes, & ſanguine paſtæ
Expleuêre ſitim; Paſtor ſæpe ipſe fatiſcens
Paſcebat ſe rore ſuo, potuſque, cibuſque,
Et conuiua ſibi; tandem quos fecerat ipſe
Clauſit amor latices, ſuffecitque omnibus vnda,
Dum nulla vnda fuit.
  Senſerunt gratæ pecudes Paſtoris amorem,
Et memori ſenſu, & ſignis, geſtuque loquaci
Paſtorem coluere ſuum: Tu verus Ariſtus,
Tu Paſtor Chriſte es; Tu venas corporis omnes
Mutaſti in latices, vndiſque & ſanguine rorans
Inuitas populos omnes ad fercula de te,
Et potum de rore tuo. O miracula amoris!
O ſortem felicem hominum! licet omnibus eſſe
Conuiuas Domini, & ſacræ myſteria menſæ
Impenſis celebrare Dei.

SYLVA SECVNDA.

CARLOMANNVS
EX REGE PASTOR.

REX olim, mox Paſtor oues paſcebat Amyntas,
Et Regem exutus ſub opaci nube Cuculli

Rector adhuc, & Paſtor erat.
Ecce tibi ſolam à tergo procul ire bidentem
Aſpicit, & cauſam explorans plorare ſubaudit,
Et lacrymis ſine voce loqui.
Sentit amor lacrymas, penè ipſa ſilentia ſentit,
Et voces ſine voce audit; miſeratus Amyntas
Accurrit, claudaque videns, inſiſtete plantâ
Aſſidet, & gremio miſeram amplexatus amico
Alloquitur nutu, fit amor vocalis vtrique,
Reſpondent, & vterque ſilet.
Mox plagam attrectans fractæ dedit oſcula plantæ,
Palpauit blandè, lacrymis aſperſit amaris.
Vnguentum fuit ille liquor, tùm fragmine veſtis
Induit, & leuibus muniuit vtrimque bacillis;
Quod deêrat ſuppleuit amor.
Creſcebant vmbræ intereà, vergebat horiſon,
Inclinante die, grex ſponte ad ouile redibat;
Adblanditus oui, ceruici imponit Amyntas
Molle onus, & placidæ ſurgens ſub pondere molis,
Hoc cantu ſocias pecudes, ægramque bidentem,
Et proprium recreabat iter: Nunc inquit Amynta,
Nunc Regem eſſe licet, mutaui inſignia regni,
Nec Regem amiſi, totum hoc ſub pondere regnũ eſt:
O onus innocuum! ô facile & tolerabile pondus!
Quam diſpar moles hominum eſt! tua ſarcina Chriſte
Hæc fuit impoſitum ceruici attollere mundum,
Et gemuit ſub mole Deus: Tu ſarcina nobis
Chriſte leuis, legeſque tuæ tractabile pondus,
Victorem vehis ipſe tuum, Tu nobilis Agnus
Qui tollis peccata hominum; Tu me Agne tuliſti
Et pondus vis eſſe meum. O ſine pondere pondus!
O me felicem cui ſarcina Chriſtus in Agno,
Et Deus eſt Paſtoris onus; ſic ibat Amyntas
Succollans, toleranſque agnum, vidêre beatæ
Aligerûm mentes Regem in Paſtore latentem,
Spectauit Deus, & riſit ſub vellere Regem,

Et

Et Verbum ſub Rege latens: Ouis ægra ſalutem
Intereà accepit, grateſque rependit Amyntæ,
Et memorem ſemper repræſentauit amorem.

SYLVA TERTIA.

ANDRODI & LEONIS AMOR, EX AVLO GELLIO.

HÆREBAT laceri plantæ defixa Leonis
Spina nocens, ſtrictuſque rubi mucrone gemebat:
Difficilis plorare Leo; ſubtile foramen
Febris erat, ſæuuſque dolor; ſic lædit acumen!
Nec morbo medicamen erat, quis enim audeat eſſe
Languentis medicus, vix tangere tentet Apollo,
Ægrotum medicina timet, vis ipſa timetur,
Et terret plorando Leo.
Fortè ingreſſus erat ſpeluncam Androdus inanem;
Ignarus quæ tecta hoſpes, quæque antra ſubiret;
Dum ſedet, ecce Leo veteris redit incola rupis,
Et Regem ſe voce probat, perterritus hoſpes
Ex antro reſponſa petit, propiuſque Leonem
Aſpiciens triplici miratur ſiſtere plantâ;
Fit triplex ea planta tripus, vnde omnia ſumat;
Mox vbi ſingultus audit, rorantiaque ora
Aſpicit, inuitis lacrymis, ex indice morbum
Colligit, & medicum fingens, blandumque ſalutans;
Vt valeat ſine voce rogat, loquiturque figuris,
Quot loquitur natura modis! vocalia ſenſit
Signa leo, caudâque loquens, reddenſque ſalutem;

Se primùm proſternit humi, medicumque ſedêre
Inuitat, laceræque oſtentans vulnera plantæ,
Poſcit opem mutis lacrymis, geſtuque meretur;
Androdus plantam attrectans, vngueſque recuruos,
Quos cicures faciebat amor, tandem indice tactu
Hærentem ſenſit ſpinam, telumque reuellens
Expreſſit ſaniem, libauitque oſcula plantæ;
Et plagam obſignauit amor.
Quis numeret mutas grates, nutuſque leonis
Vocales ſine voce? diu fuit hoſpes & altor,
Et medici conuiua ſui; nec finis amorum
Sylua fuit, captus tandem, & damnatus vterque
Ad pugnam iam promptus erat; cum vtrique recurrit
Sylua, & amor; primuſque Leo veneratus amorem,
Blanditur caudâ memori, veſtigia lambit,
Et geſtu loquitur; nec ſegnior oſcula figit
Androdus, palpat veterem, & reſalutat amicum.
Et circo fit ludus amor, Roma ipſa triumphum
Audiit, & flores vtrique hoc carmine ſparſit.
Ecce homo Chirurgus læſi, medicuſque leonis;
Ecce leo ſeruus Chirurgi, & ſeruus amoris.

SYLVA QVARTA.

ALEXIS & LEONIS AMOR.

ALLEGORICVS.

LAPSVS in obſcuram foueam leo triſte gemebat,
Et gemitus regalis erat; forte ibat Alexis
Venatum; mixtos gemitus rugitibus audit,
Apparetque

Apparetque etiam plorans Leo.
Attonitus, viuæque legens veſtigia vocis
Subſtitit, & pronus videt altæ in gurgite foſſæ
Captiui ſpeciem Regis, qui ſupplice caudâ,
Vocali capitis nutu, mutâque palæſtrâ,
Plus loquitur quam verba ſonant: miſeratus Alexis
Promittit quam neſcit opem.
Omnia luſtranti circum, dum ſingula deſunt,
Auxilium ſuggeſſit amor; deciſa iacebat
Quercus humi, hanc humero & manibus verſare laborat,
Supplet amor vires, tandemque aduoluit vterque,
Et tamen vnus erat.
Deuoluenſque monet geſtus clamore Leonem
Excipiat ſyluam labentem, aptéque reponat,
Et pontem ſtruat ipſe ſibi: nec ſegnior ille
Succollat, pontique ſubeſt pons ipſe futuro,
Et ſolidum ſibi fundat iter; mox impete facto
Inſiliens, plantis quercum tranſcendit aduncis,
Et grauis inceſſu patuit Leo; mox vbi terram
Attigit, aduoluens corpus, caudaque, iubiſque
Supplicibus, Dominum pronus veneratur Alexim,
Libertatem offert, promptumque ad iuſſa Leonem,
Et famulum ſub Rege canem.
Ingenium, ſenſumque feræ miratus Alexis
Accumbens collo, paſpanſque, iterumque remulcens,
Admiſit famulum, & dominum promiſit amicum.
Iamque domum omiſſa prædandi mente redibat,
Contentus Rege in prædam, cum Ceruus anhelans
Hoſte procul miſſo maiorem incautus in hoſtem
Incidit, & Regem agnoſcens, ſubdique recuſans
Securum properabat iter; ſed præpete ſaltu
Inſiliens, vrgenſque Leo, plantâque recuruâ
Suffigens, captumque tenens oſtendit Alexi,
Et ſeruum facit ex ceruo; mox vngue retorquens
Ceruicem, torſit vitam, & ſpiracula vitæ,

Dorſoque imponens victori imbelle cadauer,
Ibat ovans Rex & famulus.
Iam villæ vicinus erat, cùm exterrita conjux,
Et pueri exclamant gemini formidine monſtri;
Horrorem dominæ ſenſit Leo, parteque monſtri
Depoſita, collo, & cauda, geſtuque loquaci
Se famulum mutus clamat, fingenſque moloſſum,
Luſit, & horrorem blando correxit amore.
Ne tamen aut catulus tantùm, vel Simius eſſet,
Aſſiduus venatum ibat, prædaſque reportans,
Præda Leo, & prædator erat.
Denique poſt aliquot ſoles armatur Alexis
Ad ſacrum cruciger bellum cum Gallia miles,
Totuſque eoum veſper migraret in orbem,
Et Reges ſub Rege Deo.
Senſit iter bellumque Leo, nec voce jubentis,
Nec terrentis heri potuit clamore teneri
Ne veniat comes; hac tantum non parte fidelis
Dum tentat retinêre fidem; ne ingratus abiret,
Colloque & caudâ grates vndante rependit,
Verbaque ſuppleuit rugitu.
Ventum erat ad naues, & Nauita vela parabat,
Vt videt horrendum naui ſe inferre Leonem,
Quis nobis hæc audet, ait, producere monſtra,
Monſtrorum ſatis æquor habet, cur addere monſtris
Monſtra juuat? non hæc portenta expectat Idume,
Portentis iam plena ſuis, petit arma, viroſque,
Poſcite equos, non indociles ad bella leones:
Exeat è naui, non eſt hæc ſylua ferarum,
Ipſe homines non monſtra veho, fauêre querelis
Turba tremens, cauſamque metus excedere naui,
Communi clamore iubent; nulla inquit Alexis
Nulla metus cauſa eſt, hæc ſola figura leonis,
Naturam mutauit amor; ſed plura parantem
Dicere, muſſantis vetat indignatio turbæ,
Et vocem, nauimque negat.

Opprobrium

Opprobrium Domini ſenſit leo, iamque parabat
Vlciſci, & ſenſim monſtri natura redibat,
Aſpexit, nutuque iras placauit Alexis,
Eductumque foras verbis affatur amicis;
Arrecta ſtetit aure leo.
Diuidimur tandem, Deus hæc diuortia fecit,
Nec decet vlterius Regem ſeruire leonem,
En tibi ſyluarum regnum natura redonat,
Donaui quod ſæpe tibi; nec longius hoſpes
A patria diſtas, vbicunque eſt ſylua ſpecuſque
Hîc patria eſt, regnumque tuum; tibi cymba negatur,
Nec digna eſt te Rege ratis; nec plura locutus
Palpauit, mulſitque iubas, atque oſcula fixit,
Ingreſſuſque ratem iuſſit retinacula rumpi,
Et mundi interrupit iter.
Quid non audet amor? quis amori imperuius orbis?
Inueniet ſi deſit iter; fugiebat Alexis,
Vt ſenſit fugiſſe leo, teſtatus amorem
Rugitu, medias pronum ſe immittit in vndas,
Et quærit quod neſcit iter; primo impete ſaltus,
Moleque membrorum tractus maris ima petebat;
Vt ſenſit diſcrimen amor, ceruice prehenſum
Suſtinuit, plantaſque mouens, caudamque gubernans,
Edocuit quam ſiccus adhuc neſciuerat artem,
Ibat ouans, Regemque Leo per cærula fingens,
Rugitu terrebat aquas; vidêre natantem,
Et timuêre maris populi, ſpectauit Alexis,
Et lacrymis animos dedit, ille vt ſenſit Alexim
Attollens caput, & caudâ ſuper æquora ludens
Blanditur qua parte poteſt, miſeratus Alexis,
Hic inquit vos tangat amor; ſuccurrite amori
Dum natat, & dominam in famulo defendite vitam,
Non ſolus moriere Leo, tecum ibit Alexis;
Iamque ibat; mouit Nautam certamen amoris;
Viuat vterque inquit, digna eſt ea pugna ſalute,
Viciſti moriendo Leo, recreatus Alexis

Porgit

Porgit vtramque manum, ſocij adjuuere trahentem;
Adjuuit ſeſe ipſe Leo, ſaltuque ſuperbo
Inſilit in nauem, rorantesque excutit vndas,
Et mortem permixtam vndis.
Mox caudâ, colloque loquax, mutaque figurâ
Facundus, dominam nauim ſine voce ſalutat,
Et grates quas neſcit agit.
At toto Dominum geſtu proclamat Alexim,
Palpatuſque manu, & nutu procumbere iuſſus
Procidit, exercenſque canem, fingenſque moloſſum,
Simium agens, famulus nauis, cuſtoſque, vigilque,
Et ludus ſub Rege fuit.
Denique ſub Domino terras luſtrauit eoas,
Sub Domino rediit, plenuſque fidelibus annis
Occidit elogio dignus Leo, dignus Alexis.

VOTVM
PRO DELPHINO,
VT SIT PARENTI SIMILIS.

VIVE, vale, & vince heroum puriſſime ſanguis,
Et noſtri fortuna æui: dum Te aſtra ſalutant
Progeniem venerata ſuam, dum publica vota
Cuique licent, votis vnum communibus addo;
Creſce puer, Patremque tuis virtutibus æqua,
Nec poſſum tibi velle minus, nec fingere maius;
Cerne Patrem, Regeſque omnes ſpectabis in vno;
Nec tamen impletur cunctis; verſetur imago
Ante oculos tibi nota tuos, ne exempla require
Mortua,

Mortua, præſenti viuunt in imagine Reges;
Maiores quam in ſe, ne quære per extera regna,
Quod natale tenes, præſens apparet Achilles,
Coram Cæſar adeſt, viuitque domeſticus Hector,
Gentiles in Patre tuo; ſic ſplendet in vnâ
Pantarbâ gemmæ omnis honos, germana pyropo eſt,
Sed non tota rubet; credas viridem eſſe ſmaragdum,
Sed non tota viret, minor eſt carbunculus in ſe,
Maior in hac hærede ſua, quæ poſſidet vna
Quos aliis diues gemmis partitur honores,
Sed nullas ex aſſe beat; ſic colligit omnes
Heroas Pater, & maior ſuperaddit honorem:
Hunc te æquare decet, ſic fies Gallicus Hector,
Sic iterùm præſens in te viſetur Achilles,
Sed tantum pars vna tui.
Et licet in Patris vultu ſpirantia viuant
Virtutis ſimulacra omnis; tamen eminet inter
Tot formas pietatis honos, amor æmulus æqui,
Et virtus immota malis: ſic nobilis Iris
Quamuis tota micet, nec opaca obnubilet vmbra,
Et nubes fit tota color; tamen anteit omnes
Cæruleus, viridiſque decor, flauique venuſtas,
Et triplex fit in arcu arcus; ſic Patris in ore
Emicat omnis honos, tamen hæc tria lumina vincunt,
Iris in ore triplex: talem te publica vota
Exoptant; creſce ergo puer, virtutibus auctus,
Et patriis aſſueſce bonis non paruulus hæres;
Maturè propera, veloxque attinge Parentem,
Vt poſſis Pater eſſe diu.
Non ſatis optaui, regalia creſcite vota.
Vt creſcat per vota Puer, ſimilem eſſe Parenti
Vouimus, id magnum eſt, ſed nunc maiora vouemus.
Vt maior ſis Patre tuo; nec deprimo Patrem.
Dum Natum attollo, non eſt ignobile vinci
Palmam à te dum victor habet, victoria Nati
Vincentis fit palma Patris, communis vtrique

Creſcit

Creſcit honos, gaudet vinci quia vincere fecit.
Ac velut in vacuo ſol pulchra parelia format
Luce ſuâ pictor, credas ſolem eſſe gemellum,
Et dubium eſt, ſitne ille Pater; ſpectatur imago,
Neſciturque Author; duplex apparet, & idem eſt;
Si tamen Authorem pretioſa excedat imago
Nulla Patri fraus eſt, ſuperari in imagine gaudet
Cui ſuperare dedit, vincit quia vincit imago.
Tu quoque creſce Puer, nec magnū æquare Parentē
Aut ſuperare time; creſce, & creſcetis vterque,
Ille tuæ laudis conſors, Tu ſanguinis hæres.

VOTVM
PRO DELPHINO FVTVRO, NVNC REGE.

O Hymenæe, ô hymen, non qualem fabula finxit
Gentilem mentita Deum; ſed quale redemptis
Proponit populis Eccleſia Sacramentum,
Nexum hominis, nexumque Dei; ſub conjuge Verbo,
Mortaleſque inter ſponſos durabile vinclum:
Et nulli violandum homini: Te prouoco votis
O Hymenæe ſacris! ades & connubia necte
Exoptata diu, pacemque & bella marita
Conjugio ſponſorum vno, plaudentia ducunt]
Aſtra choros, & quos ſociali fœdere junges
Sunt ſtellæ, ſoleſque duo: nec ſola vouemus
Gaudia, Delphinvs votum eſt, & teſſera voti:
Hunc ſacris concede thoris, & pignore magno
Thereſiam

Thereſiam Matrem, & Ludouicum effice Patrem,
Et Reges centum Proauos; ſit imago Parentum.
Filius, & ſimilis ſimilem demonſtret vtrumque,
Et veteres demonſtret Auos; ſpectentur in vno
Permixti heroës, Galluſque, & ſanguis Iberus
Heroëm generent, animos ex Matre trahentem,
Atque animos ex Patre ſuo; ſit liliger hæres
Qualem BLANCHA dedit SANCTVM, qualem edidit
ANNA,
Æqualem det vterque Parens; hæc gloria Patrum eſt:
Hæredes genuiſſe pares; ſit maior imago,
Hæc quoque laus Patrum eſt hæredibus eſſe minores,
Maioreſque aliis: gaudent ab imagine vinci,
Et vincunt in prole Patres.
Dixeram, & oppreſſis irrepſit ſomnus ocellis,
Et ſomnos induxit hymen; tum illuſtria ſpectra
Viſa mihi; ſtabant centum gemino ordine Reges,
Liligeræ gentis Reges, & gentis Iberæ,
Ollis diſſimiles vultus, diuerſaque forma,
Majeſtas ſimilis; vidi Regalia ſceptra,
Et timui penè eſſe Deos: at tu optime vates
Ne timeas, ſubriſit Hymen, commercia pacis
Inter ſe Reges agitant, olim hoſtibus hoſtes
Nunc poſitis odiis vno certamine certant
Eſſe pares; maiora animis ego ſuggero vota,
Eſſe vnos, atque eſſe duos; ſi ſanguis Iberus,
Et Gallus ſocij iungantur fœdere lecti,
Et magno coëant diuortia Sacramento,
Audi tractantes connubia regia Reges,
Infantis, Regiſque ſacri: dum fœdera firmant,
Intereà Regum vultus, animoſque latentes
Inſpiciam, & varios Pictor miſcebo colores,
Vmbraſque & radios, & pulchra in imagine pingam
Incluſos centum heroës heroë ſub vno.
Hic DELPHINVS erit, manibus da lilia plenis.
Dixit, & excuſſis ſomnum deterſit ocellis.

Euigilo

Euigilo admirans, & vota, & ſomnia narro;
Et vates ventura ſciunt.

HOROSCOPVS
DELPHINI,
EX PARENTVM ASPECTV.

NON ego vos ſtellæ,non vos interrogo Parcæ
Delphini ſors qualis erit, vos fabula vatum,
Non Regum fortuna eſtis; ſibi ſydera Reges,
Et Reges ſunt Parca ſibi; tamen aſtra tueri
Si placet, auguſtum eſt Mater Theresia ſydus,
Tuque Aſtrum Lodoice Pater, vos nobile fatum,
Vos Pueri fortuna eſtis; Delphinus vtrumque
Ore, oculis, & fronte refert; Thereſia tota,
Totuſque eſt in prole Pater, ne Gallia quære
Delphini ſors qualis erit, Matremque, Patremque
Aſpice, talis erit qualem miraris vtrumque.
At qualis quantuſque Pater! ſpectantur in vno
Quæcunque heroës olim fecêre beatos,
Et quæ olim fecêre Deos; olli ardua forma,
Majeſtas capitis, radiorum innata corona,
Et toto Rex ore patet: decepta videtur
Natura humanos homini dum fingeret artus,
Et pinxit ſub Rege Deum. Quid corporis hoſpes
Humanis oculis ſi mens diuina pateret?
Quos animis, oculiſque ſui generaret amores?
Inuitum traherent ad ſe Regna omnia Regem,
Et poſſet ſatis eſſe vnus.

Conjugis

Conjugis eſt narrare tuas Thereſia dotes,
Illi tota places, vobiſque placetis vterque;
Tu tamen affectuſque tuos, animique vigorem
Totum impreſſiſti Delphino, & Regia proles
Reginam, Regemque refert; hæc Matris imago eſt,
Illa tamen plus Patris habet.
Parue & Magne Puer permitte vt ſtamina vitæ
Aſpiciam, non quæ fatales nêre ſorores,
Finguntur mendace colu, ſed quæ auſpice dextrâ
Et voluente Deo, magni neuêre Parentes;
O quales video ſortes! & qualia fata!
Longæuum aſpicies olim regnare parentem,
Exempliſque Puer diſces regnare paternis,
Et regnare voles; ne deſint patria regna
Antiquas repetes patrias, fuit orbis eous
Gallicus, & per te quondam vult Gallicus eſſe:
Iam captiua diu implorat te Turcica luna,
Et ſolem vult eſſe ſuum, iam regia Memphis
Et Tyrus, & Solyma expectant, & Perſicus ignis
Vult radiis lucêre tuis, iam cerno cohortes
Liligeras, partim terris, totoque volare
Oceano, ſed cerno alias cælo ire cohortes,
Liligerumque Ducem, toto patet ore beatus,
Et nonum ſe prodit Auum; quæ verba loquatur
Non licet ore loqui, at vultu dextrâque loquaci
Oſtendit terris palmas, Cæloque coronas.
Macte ergo generoſe Puer, tecum omnia pugnant,
Et conjuratis Cælum tibi militat armis.
Nec fruſtra natiua dies, & feſta Beatis
Eſt natiua Tibi; nec inani naſceris horâ,
Aſcendente die medij faſtigia Cæli,
Et Sole incumbente tibi; Solemque decebat
Naſcentis teſtem eſſe tui, Solemque orientem
Fraternis radiis, & toto lumine vultus,
Et pleno illuſtrare die.
Creſce Puer Patri conſors, Horoſcopus ille

Sit

Sit ſydus, fatumque tuum; ſunt fabula Parcæ,
Et Parca eſt, & ſtella Pater.

CLAVA HERCVLIS,

Et Belli, & teſſera Pacis.

ECPHRASIS POETICA.

MVRMVR erat Superos inter quis traderet arma
Alcidi, vt monſtris terras purgaret,& orbem,
Suppleretque Deos terris; ipſe, inquit Apollo
Arma dabo, ſplendentem arcum, celereſque ſagittas,
Et pharetram fato grauidam, tela ille vibrabit,
Ipſe oculos, dextramque regam; Mars obtulit enſem,
Et clypeum, fugiuntur ait, fugiuntque ſagittæ,
Hunc enſem mors nulla fugit; mea, Iuppiter inquit
Progenies armanda mihi eſt; placet igne triſulco
Hæredes armare manus, dumque ipſe tonabo
Aſtra ſuper, ſub me ille tonet, Patremque, Deoſque
Exhibeat terris, & tutum præſtet Olympum,
Securoſque Deos.
O Pater, ô Diui meliorem ſumite mentem
Pallas ait, noui Alcidem, Alcidiſque furorem,
Si Martis gladium, ſi tractet Apollinis arcum,
Si patrium fulmen, poſtquam purgauerit orbem,
Poſt domitos terrarum hoſtes, tentabit Olympum,
Et ſuperis fiet pejor Titanibus hoſtis:
Arma tamen ſunt danda homini, ſed noxia monſtris,
Non Superis: nodoſa mihi famulatur Oliua,
Ex illa Clauam effingam, quæ commoda belli,
Et Pacis ſtudiis vtriuſque inſpiret amorem,
Et Superis ſit ſacra Diis.

Aſſensêre

Aſſensêre Dij, mox grandi Pallas oliua,
In Clauam verſâ Alcidem donauit inermem,
Dum vino madidus frondente ſub arbore ſtertit,
Pigmæoſque inter ſomnum vincire volentes
Exterret flatu, & ſolo debellat odore:
Euigilans ille, & plenam denſa arbore dextram
Miratus, ſenſit bellique & pacis amorem,
Agnoſcenſque Deam ex oleâ, dedit oſcula Clauæ,
Iurauitque fidem Superis.
Denique purgauit monſtris horrentibus orbem,
Reſtituit pacem terris, Cæloque pepercit,
Et Numen poſt fata fuit,
Quam dedit Alcidi mendacem fabula Clauam,
Hanc tibi veracem Clauam tua Gallia tradit,
Hanc Lodoice geres, erit hæc quoq; cognita monſtris,
Et Belli vindex, *&* ſacræ *teſſera Pacis.*
Alcides, Tu verus eris.

LVDOVICI XIV.

PERICVLOSE ÆGROTANTIS

PARÆNESIS

AD FRATREM.

AVDI Borbonides frater verba vltima fratris,
Quo mea ſit fortuna loco, quò vita redacta,

Quid

Quid fuerit Regem eſſe vides; nec me arma tuentur,
Nec victor miles; mors tela irridet, & arma,
Et telis, armiſque caret; datur vltima vitæ
Linea, quam nulli fas eſt excedere Regi;
Et Regum limes punctum eſt.
Hæc eſt meta mei, repetit Deus ille coronam
Qui dedit, hanc reddo & vitam; ſuper altera vita eſt,
Et melior; nec ſceptra illic, nec lilia deſunt,
Illa olim venêre polo.
At Tu Borbonides frater ſuccede coronæ,
Mortali tamen, hanc centrum geſsêre Parentes,
Et centum amiſere Patres; ſtat nobile Regnum,
Et pereunt Regni hæredes, & Tu quoque frater
Ceſſabis quondam Rex eſſe, Tuique corona
Non tu hæres illius eris; Tibi commodat illam,
Non illam donat propriam Rex publicus orbis,
Francorumque Deus proprius: Te Gratia Regem,
Et Regem facit ipſe Deus.
Supple igitur regnando Deum, fac Gallia credat
Intra hominem latitare Deum; ſic ſceptra teneret
Sic ageret Rex ipſe Deus: dum præmia juſtis,
Dum pœnas ſtatuis ſceleri, timeatur, ameturque
In Te vltor, iuſtuſque Deus.
Audi iterum qualem poſcat Te Gallia Regem,
Proregem vult eſſe Dei, ſimilemque Tonanti,
Non tamen æqualem; Regem me gratia fecit,
Nec potuit feciſſe Deum. Tu te ergo minorem
Crede Deo; conflare poteſt ex puluere Reges,
Et cinerem me penè vides,
Dixerat, & Cælo placuit reuerentia Regis,
Paulatim vires membris rediere, colorque,
Et Rex vicinus cineri ſua funera vicit.
Territa mors fugit iuuenem, nec ſera redibit
Ad Regem niſi forte ſenem.

PROSO

PROSOPOPEIA BREMÆ, AD MARESCALLVM CREQVIVM.

BREMA meis famoſa malis, mea funera ploro
Dum funus deploro tuum;tecum inclyta ſtarẽ,
Staret adhuc ſi vita Tibi : fugiſſet Iberus
Præſentem Crequium, qui ſæpe ad nominis vmbram
Palluit, & fugit quem non aſpexerat hoſtem:
Armatæ facilis ſeruaſſet mœnia Bremæ,
Qui nuper Verrucæ hoſtem defendit inermi ,
Et nunc vincendi limes Brema eſſet Iberis,
Et via vincendi Francis ; ſed ô aſpera fata !
Fata tibi, dira atque mihi ! mors inuida laudis
Abſentem Crequium immaturo funere merſit,
Et funus me mergit idem : mallem eſſe Mapale
Exiguum, vel qualis eram ſine nomine vicus,
Et ſoli notus pecori, quam Martia Brema ,
Aut ſoror, aut hoſtis nimium vicina Caſali ;
Magna mihi fortuna nocet, clareſco ruina,
Et damnis ſum nota meis ; ſeruire duobus
Impellar Dominis, captiua vtrique futura,
Et neutri manſura cliens,dum victus vterque ,

Et victor ſuccedet Herus; ſic ſemper egena
Alternas mutabo vices, vt præda prioris
Et Domini ſim præda noui; ſic carnis egenum os
Muſſantes rodunt catuli, retrahuntque, trahuntque,
Hic prædam nunc fauce rapit, nunc eripit alter,
Mutat præda vagas fauces; nec vulnera mutat;
Iamque oſſi vacuo ſolus vix nidor adhæret,
Ipſe etiam mordetur odos; hæc fabula Bremæ eſt.

PROSOPOPEIA DVNKERKÆ.

AN loquar, an ſileam de me ludentia fata,
Et ſortem Dunkerka meam? dudum alea belli,
Et dudum fortuna fui; ter capta, recepta,
Ter victrix, ter victa ſimul, ter amica, ter hoſtis,
Mutaui dominos dominis, atque hoſtibus hoſtes,
Atque inter tot fata ſteti.
Vnde tamen laus iſta mihi meruiſſe tot hoſtes,
Et Regum tot bella trium? quid denique ſperant,
Quid de me tria regna timent? tamen vna ruinæ
Hæc eſt cauſa meæ, veteris mihi gloria famæ,
Et noua fama nocet; ſedes mihi commoda bello,
Et paci, ſtatio externis maleſida carinis,
Et ſecura meis; fortis ſine mœnibus eſſem,
Oceanus mihi pars muri; pars altera ſtagnum,
Pars effuſa palus, hoſtilibus inuia caſtris,
Et ſolis acceſſa auibus, populoque natantum.
Me tamen & turres, & propugnacula cingunt,
Et præruptæ arces, intus defendor, & extra,

Et

Et duplex Dunkerka vocor.
Hæc ſeges inuidiæ eſt, per me tria regna timentur,
Et per me tria regna timent; per me arduus olim
Albiacas victor Cæſar penetrauit in oras,
Et per me victor rediit; per me Anglia triplex
Nuper erat terror Gallis, & terror Iberis,
Et poterat metus eſſe maris: per me acer Iberus
Europæ, & mundi fines terrebat vtroſque,
Terror ego terroris eram; nunc Gallia per me
Non timet affines populos, populiſque timendam
Cauſa facit triplex, ſoror eſt Grauelina Caleti,
Et ſoror eſt Grauelina mihi: nec me illa carêre,
Nec conſanguineâ poſſum ipſa carêre ſorore;
Antiquis Gallus titulis inhiabat vtrique,
Nunc illam ſuperatam armis, me poſſidet emptam:
Vna ſoror, pluresque ſumus.
Nunc ergo ad veteres dominos euicta reuertor,
Et qualis quondam fueram nunc Gallica fio:
Ne dominos olim mutem, ſua iura Britannus
Vendidit, admirans pactis conſenſit Iberus
Dum tacuit; Gallus nummis præſentibus emit:
Ipſa libens emor, & ne vnquam me deſerat emptor,
Emptorem dum vendor emo.

MOMMEDII CAPTI
PROSOPOPOEIA.

MOMMEDII moles, & inexpugnabile Caſtrum
Ecce tuo, exemploque meo, illuſtrique ruinâ,
Inuictum nihil eſſe probo: mihi fundamentum

Immanis rupes, & præceps vndique ſaxum
Vallum erat, & murus ; rupem natura crearat,
Et caſtrum de rupe fui : ſed maior ab arte
Fama mihi, victrix naturæ induſtria caſtrum
Adjecit caſtro, & primis noua mœnia muris ,
Et circum turres, & propugnacula ſeptem,
Lunaſque, & lunæ bis ſex fragmenta, nouumque
Impoſuit montem monti ; vix vlla per orbem
Arx erat exæquanda mihi : ſecura ſedebam
Intra arces Regina meas, grandique tributo,
Vicinos latè populos, vrbeſque premebam ;
Et Reges olim, & Cæſar mihi præda fuêre ;
Nec bene ab euentu maledicti nomina montis
Inuidia impoſuit, victrix à Cæſare victo,
Et felix dici metui ; ſed grandia liuor
Non minuit dum dente terit, iuuat vmbra colores,
Et proſunt maledicta mihi.
Talis eram,cum me audaces cinxére phalanges,
Principio riſi Gallos, & Gallica caſtra ;
Tunc capiar dixi, cum gens armata volucrum
Aſcendet per inane volans, nec inania dixi :
Nam pennas & Gallus habet ; vidi impete facto
Ire leues Gallos per pendula, & ardua montis,
Cauteſque, & rupes, & præcipitantia ſaxa ;
Scilicet obſtupui, & cœpi noua bella timere ;
Oppoſui flammas, ignes, tormenta, globoſque,
Objeci teli omne genus ; per tela, per enſes ,
Per flammas fecêre viam ; penè eſſe Gigantes,
Penè videbantur Diui, niſi vulnera, morteſque
Arguerent non eſſe Deos ; poſt funera viui
Pugnabant tamen, aut egreſſæ è corpore mentes
Bellum exercebant : minus eſt quod Græcia finxit,
Quam quod geſſerunt Franci, mendacia vatum
Inuenére fidem, fuit olim fabula Troia,
Nunc eſt Mommedij hiſtoria.
Nec minus audaces pellebant mœnibus hoſtem
Dux,

Dux, mileſque meus; capta eſt, & ſæpè recepta
Pars eadem valli, & turris, lunæque bicornis;
Quot paſſus totidem pugnæ; veſtigia montis
Singula victori, & victo certata fuêre;
Pugnarunt Elementa mihi, flammæque, globique,
Saxaque; quin etiam vt toti in mea tela patêrent,
Neue legi poſſent, Francis ſe terra negauit;
Poſt tela effoſſi projeci viſcera montis,
Nec tamen impactis turbaui rupibus hoſtem,
Nec monte oppreſſi toto, totiſque Elementis;
Per rupes, monteſque, elementaque victa, volatu,
Aut ſaltu inuenêre viam.
  Denique naturam Franci viciſtis, & artem,
Mommedium captum eſt, poſt inſuperabile caſtrum
Inuictum nihil eſſe poteſt: Rex maxime Regum
Ingredere in caſtrum quod ſub te milite captum eſt,
Et ſub Te Duce, paucorum eſt ea gloria Regum
Exemplo ſuperare ſuo; mihi regia laus eſt
Regali cecidiſſe manu.

EMINENTISSIMO CARDINALI PRINCIPI ECCLESIÆ ARMANDO RICHELIO, VOTVM DIVTVRNÆ VITÆ.

PERMITTE vt longos voueam tibi Neſtoris annos;

Vna tui Regno & Regi non ſufficit ætas;
Optamus tria ſecla tibi: tot ſtamina vitæ
Fatidicæ heroi Pylio neuêre Sorores,
Et breuius meritis filum fuit; ille Pelaſgis
Principibus belli ſocius, magnique Miniſter
Atridæ, pacem & bellum tractabat inermis:
Parebant Reges monitis; mittebat Achillem
Et reuocabat iter; magniſque Aiacibus Aiax,
Et Ducibus Ducis inſtar erat; ſine Neſtore Troia
Staret adhuc; Priamuſque Aſiæ Regnator, & ingens
Gloria Dardanidum; mendax eſt fabula Pallas,
Includenſque acies equus, inſidiæque Sinonis;
Vendidit Antenor Patriam; Æneaſque Penates,
Neſtor vtrumqne emit; Regnumque, Aſiamq; Mycænas
Tranſtulit, & longæ vidit tria ſecula vitæ;
Et meruit vix poſſe mori.

Hæc vmbra eſt, ARMANDE tui, tu Neſtore maior,
Et geminis tuus eſt maior Lodoicus Atridis,
Nec magni Aiaces deſunt, & maior Achilles,
Et centum Troianæ arces, & Pergama centum
Conſiliis cecidere tuis; ſi vincere pergis
Europæ junges Aſiam; nec inutile votum eſt;
Imperium Francis quondam ſeruiuit eoum,
Et Francos noua luna timet; nec vana Sibylla
Eois iterum promiſit lilia terris,
Et poterant ferri, ſi Flandria victa Damaſcus;
Si Dunkerka Rhodus, Sidon Grauelina fuiſſet;
Pacanda eſt Europa priùs, Regique marito,
Et Matri, & Francis vngendus Liliger hæres;
Tunc belli ſocius Francis heroibus ibis,
Aiaceſque nouos, vetereſque videbis Achilles,
Et veterem Neſtor Troiam, & noua pergama vinces,
Iam triplex ætate ſenex.

LVGDVNI ET MASSILIÆ DE ALPHONSO RICHELIO, SVB NOMINE ARISTI AMABILIS PVGNA.

ECLOGA.

PVGNAT Lugdunum de te, & Maſſilia pugnat,
Vtra magis ſit Ariſte tua : & dum pugnat vtrimque
Neutra minus, plus neutra tua eſt:amat vtraque totū,
Vtramque & tu totus amas.
Me, Lugdunum inquit, non te meus ardet Ariſtus;
Nec tuus hic Paſtor, nec tu Paſtoris ouile,
Huic ouis eſt meus ipſe leo, ſub voce magiſtrâ
Dedidicit rugire ferox, & amore regente,
Iam didicit balare leo ; quæ ſigna fauoris
Expectare potes ? totum ſe Paſtor ouili
Præbuit, & ne aliquod ſperes e diuite donum,
Nil vltra quod donet habet ? mihi ſanguis Ariſti
Ægrotæ medicina fuit, mihi purpura veſtis,
Et veſtis Paſtoris amor ; ſi totus Ariſtus
Eſt meus, vnde aliquam ſperes Maſſilia partem ?
Nec partes admittit amor.

Lugdunum ſoror, & charæ minus æqua ſorori,
Cur ſolem vis eſſe tuum, ſi publicus orbis
Eſt oculus; cur non fiat communis Ariſtus
Si commune bonum eſt? quid non opponeret orbis
Si vellem retinere mare? & tua flumina currunt,
Et quidquid commune bonum eſt, excurrere debet;
Ne fiat proprium; currat communis Ariſtus,
Ille tuus, ſit & ille meus; ſat amoris vtrique,
Sat lucis ſol diues habet: ſi pergis obeſſe,
Incipiam fieri ipſa nocens; priuabere iure,
Partiri ſi iura negas: remorabor Ariſtum
Ne poſſit tuus eſſe redux; tentabo coronis,
Imperium donabo maris; ſi munera nolet,
VICTOREM dabo; vincetur victoris amore,
Victus erit, victorque meus.

O pugnam elogiis dignam! ſic æmula ſigna
Solſtitij pugnant, vter amplius ignis ametur,
Quis ſolem plus ignis amet; ſi vincere poſſet
Alteruter, reliquis ſolem ſubduceret aſtris,
Et fieret ſol puncti hoſpes; ſed publicus orbis
Arbiter, inuiſit puncta, & poſtquam oſcula fixit,
Zodiaci per ſigna redit, fictaſque figuras,
Et veras ſub ſole facit; niſi iuſtus amores
Diuideret, pars vna orbis ſplendore periret,
Altera pars tenebris; dum menſtrua ſigna pererrat,
Æqualem facit hoſpitiis æqualibus annum,
Dumque amat, eſt communis amor.

Et Tu ignes partire tuos, æqualis Ariſte:
Nec te Lugdunum, nec te Maſſilia totum
Poſſideat, ſat lucis habes, & amoris vtrique;
Zodiaci percurre vias, & publicus Orbi
Da populis, ouibuſque tuis de Te eſſe beatos,
Et radiis lucēre tuis,

PRO

PROTREPTICVM LYRICVM AD FRANCOS.

AD arma Franci, iam lituus ſonat
Ad arma; Turcæ finibus Hungaris
Inſtant, Saracenæque turmæ
Sileſios populantur agros.
Occurrit ingens Auſtriadum Domus,
Iuratus hoſtis Serinius Comes
Opponit armatas phalanges,
Ipſe phalanx, acieſque magna eſt.
Armantur omnes Imperij Duces,
Armiſque pugnant auxiliaribus,
Orbiſque communi Tyranno
Publicus eſt inimicus orbis.
Danus, Polonus, Moſcus, & Incola
Poli Suecus ſuppetias ferunt,
Timentque vicinam procellam,
Et Boream Boreæ minantem.
Iber metallis militat Indicis,
Et dum cohortes deſtinat aureas,
Inermis, armatuſque pugnat,
Et ſine milite bella tractat.
Romæ Senatus nobilis æmulus,
Dum Roma Regum nobilis æmula
Orbem gubernabat togata,
Et toga militiam regebat.
Senatus armis imperium iuuat,
Turcaſque nobis aſſerit impares,
Quos Creta pars orbis minuta,
Et Venetæ pepulere vires.

At Francè fatum Turca timet tuum,
Falſus Prophetes vidit & horruit,
Et vana ſemper verba fatus,
Fata ſemel meliora dixit.
I Francè palmas collige debitas,
Caſurus olim Turca tibi cadat,
Et tu futurus Rector orbis
Imperij retine ruinas.
Romanus orbis Chriſticolæ Pater
Ad arma gentes Chriſticolas vocat,
Verboque & exemplo ſuadens
Claue Pater, gladioque pugnat.

PROTREPTICVM HEROICVM AD GALLOS.

GALLIA cognoſce antiquas in prælia vires,
Et vires agnoſce nouas; fuit orbis vterque
Gallicus, & quondam vult orbis Gallicus eſſe;
Et ſaltem tunc talis erit, cum deſinet orbis;
Ne dubites fatum eſt quod Sol formidat eous,
Et fatum quod Luna timet.
Non memoro partos olim toto orbe triumphos,
Lilia vbique vigent, & Francus vbique ſuperſtes
Regnat adhuc in flore ſuo, germenque timetur
Floris, & illuſtres orituri ex germine Reges.
Dic alma heroum Mater, genitrixque Deorum
Victores quoties ſpectaſti Græcia Gallos,
Et penè es venerata Deos? illi hoſtibus hoſtes,
Et placidi placidis Reges domuêre rebelles,
Et domitis mediæ partem tribuêre coronæ,

Et

Et partem tribuêre ſibi; commune duobus
Seruat adhuc populis Gallorum Græcia nomen.
Miſcuerat cunctis victrix ſe Gallia regnis,
Et Regum Rex Gallus erat; nemo arma mouêre,
Nemo aduerſantem ſperabat vincere Regem
Si Gallus protector erat; vel milite Gallo,
Vel Duce Mars belli leges, paciſque ferebat;
Hic erat armati timor, hæc reuerentia Galli.
Deſine vana tuos attollere Græcia Reges,
Et tu Troia tuos; Gallis ſuus Hector & Aiax,
Et ſuus Æneas fuit, & gentilis Achilles,
Alcides verus noſter, nec fabula noſtra eſt.
Non hîc finitimas Gallis interrogo Gentes
Germanos, Anglos, Danos, Suecoſque, Polonoſque,
Armatos quoties Gallos ad regna vocarunt,
Et ne hoſtes ſceptri fierent, fecêre Patronos;
Nunc etiam montes, poſitæque in montibus Arces
Noſtri aliquid ſermonis habent, & voce paterna
Antiquos reuerentur Auos.
Dic Tu Roma potens quoties te Gallia vicit,
Et quoties ſolâ venientis territa famâ,
Clauſiſti timidos intra tua mœnia Ciues:
At quoties foſſas, & propugnacula Gallus
Tranſiliit ſaltu generoſo, & pene volatu;
Corruerant ædeſque tuæ, turreſque ſuperbæ,
Et celſæ Capitoli arces, niſi territus Anſer
Clangeret, & capta Gallos reuocaret ab vrbe.
Non Alpes Pœnus, nec fuſum effregit acetum,
Perrupit Gallus ferro, & victoria triplex
Ad Trebiam, & Cannas, Traſimenumque, Padumque
Debetur Gallorum animis, non fraudibus Afri.
Hæc Galli ante fidem, maiora egêre fideles,
Pugnauêre Deo Franci, & miracula Francis:
E cœlo venit labarum, pluit aurea flamma,
Sacra Ampulla pluit, Regeſque hoc flumine tincti
Hæredis dextræ tactu miracula patrant,

Et dum immortales Strumas, & vulnera ſanant,
Naturæ ſunt penè Dij.
Audiit hæc, viditque orbis, cœpitque timeri
Francorum virtus, hodieque & ſimus Iappon,
Et Sina, & Braſilus, naſcentiſque incola Solis
Audita à Proauis reuerentur nomina Franci,
Ignotoſque timent, & adorant penè timorem.
Nec licet ignoti vana eſt reuerentia Franci,
Ille plagas olim victor penetrauit eoas,
Et Nilum, & rubras Erythræi marmoris vndas,
Et ſteriles Arabum montes, & littora Tygris,
Et quos Euphrates medios interfluit agros,
Et poterat victor naſcentem inuiſere Solem,
Regiáque eois intexere lilia palmis.
At Francus ſacrâ impulſus pietate petebat
Regna Deo, non regna ſibi; nec inania vota
Victorem fecêre Deum; Sydonque, Tyruſque,
Berythus, & quondam Libani Regina Damaſcus,
Azotus, Gaza, & palmarum mater Idume,
Et Solymæ turres, & templum, arceſque Syonis
Reginam agnouêre Crucem; Francique fideles
Suppleuêre vices Chriſti, commiſſaque ſceptra
Proreges geſsêre Dei. Sacramque coronam
Nunc etiam gererent, niſi Græcus fraude pelaſgâ
Promiſſos aditus, & pacta alimenta negaſſet,
Ejurans, iuranſque fidem. Nec pœna ſceleſtum
Deſeruit, Francus fraudes vlturus, ademptum
Ignauæ genti imperium collegit eoum,
Et centum ſoles victo numerauit in orbe;
Et regnaret adhuc, niſi prauæ crimina gentis
Mutaſſent Dominos Dominis, Turcaſque tyrannos
Ad meritas gentis culpas, pœnaſque vocaſſent.
Hos quoque mulctabit Francus voluentibus annis,
Et lunam ereptam Turcis, Orientiaque aſtra,
Naſcentemque reget Solem Rex orbis eoi,
Et Prorex erit ipſe Dei.

Hoc

Hoc fatum Mahomet vidit, falſuſque Prophetes
Vera ſemel dixit; timet hæc oracula Turca,
Et credit fata eſſe Dei; metuendaque quondam
Iam metuit, nondumque hoſtes iam præuidet hoſtis,
Vincenduſque olim noſtris iam vincitur annis.
Gallia cognoſce antiquas in prælia vires,
Et vires agnoſce nouas; te oracula Diuûm
Ad bellum per bella vocant; ſi Gallica ſigna,
Si labarum præeat, ſi ſplendeat aurea flamma,
Cuncta ſequi te regna volent, tecum ibit Iberus,
Et tecum partes eoi diuidet orbis,
Partem Anglus, partemque ſuam Germanus habebit,
Partem alij Reges; ſatis integer orbis honorum,
Terrarum ſatis orbis habet.
Ergo Chriſtiadæ hoſtiles componite rixas,
Vnus Turca hoſtis, bellumque ſit omnibus vnum;
Illum illum veſtra arma petant; ſi mutua bella
Illum impugnaſſent nulla eſſet perfida Mecha,
Et nullus Mahomet, Deus omnibus vnicus eſſet,
Vna fides, Chriſtuſque vnus.
At vos Francigenæ primos hæc gloria ſpectat,
Quod petitur veſtrum eſt, nec vos niſi patria ſceptra
Quæritis, & manibus quondam tractata paternis;
Ipſe Deus Proauos ad regna eoa vocauit,
Iuêre, & ſparſas diuino ſanguine terras,
Ipſi etiam ſparsêre ſuo, fuit orbis eous
Gallicus, & titulis vobis debetur auitis.
Ite Patrum hæredes; quò vos oracula Diuûm
Et quò fata vocant; tulit olim lilia Gaza,
Et Tyrus, & Sidon, & nunc quoque lilia monſtrat:
Ite, & victores patrios decerpite flores.
At lacrymis res digna piis, Crux arca ſalutis,
Crux hodie captiua gemit, manibuſque profanis
Tangitur, & Chriſti Domini vitale ſepulcrum
Clauditur, & ſolis Deus eſt venalis ocellis.
Ite pij Franci, libertatemque ſepulcro,

Et dominæ donate Cruci, Turciſque ſubactis
Penè redemptores humanæ eſtote ſalutis,
Vltoreſque Dei,

MORBVS
ET
CARMEN VOTIVVM
AVTHORIS.

LVGDVNI afflictus morbo languebat Alexis,
Et morbus lethalis erat: conceperat ignem
Succingens membrana latus, ſanieſque putreſcens
Sub plevrâ nocuum tuber conflauerat, & mors
Intra tuber erat; vix ſpiritus æger ad auras
Exibat lentè, febriſque, & tuſſis acuta
Intercidebant laceræ ſuſpiria vitæ,
Et mucro ſingultus erat: miſeratus Alexin
Mellinus, lacrymis primùm, deinde ore locutus:
At tu, inquit, magnæ ſupplex fac vota Parenti,
Mors votum de morte timet; ſi ſtamina vitæ
Protrahat, acturum votiuo carmine grates,
Et memori elogio magnæ præconia vitæ,
Verbaque dicturum ſoli bene cognita Verbo.
Audiit, & dextrâ, nutuque locutus Alexis,
At tu verba præi Melline, & concipe votum,
Ipſe ſequar, dicamque animo quæ tu ipſe loquêris,
Spectat corda Deus, tacitæque ſilentia linguæ,
Et voces ſine voce audit: tùm hæc dixit vterque.

Diua

Diua Parens, ex quo magno commune Parenti
Pignus habes,ſponſamque elégit Spiritus almus,
Perſonis cognata tribus, communia iura,
Et ſceptrum commune tenes, vitæque, neciſque
Arbitra, longævæ metas producere vitæ,
Et metas arctare potes; dulciſſima mater
Si juuenes annos moribundi extendis Alexis,
Si febrim extinguas, & læſæ incendia pleuræ,
Promittit memores votiuo carmine grates,
Laudeſque, & titulos, & ſacræ ſymbola vitæ,
Verbaque dicturum, quæ Verbum vt dicere poſſet
Humanam aſſumpſit linguam,Verbumque Parentis
Penè fuit Verbum Matris.
Si fatale tamen momentum aduênit, & hora,
Hora placet, ſed ne fatalis terreat hora,
Adde animos metuenti animæ, libramque ſeueri
Iudicis exonera noxarum mole mearum,
Et meritis ſuppone tuis; Te ſupplice victus
Emendat decreta Deus.
Hæc dixêre duo, & ſolus promiſit Alexis;
Interea ſenſim febris, tuſſiſque resêdit,
Detumuit nocuum tuber, vallemque reliquit,
Et locus eſt vbi tuber erat: rediuiuus Alexis
Perſoluit meritas præſenti carmine grates
Seriùs, & poſtquàm ſoluit vult debitor eſſe,
Et voti ſupereſſe reus.

ANTONII

ANTONII L'ABBE' INTERITVS, ET VOTVM AVTHORIS.

PEndeat hoc carmen votiuæ anathema Thaliæ
Ex aris, LOYOLA tuis, ſeruataque vita
Authori grates rediuiuo carmine ſoluat.
Labbæum fratrem huc longis meus ignis ab oris
Duxerat, vt mores ſub me, Sophiamque Magiſtro
Diſceret; heu ſortis malè conſcia corda futuræ!
Et Sophiam, peſtemque hauſit. Veſontia labes
In ciues graſſata ſuos tandem improba tela
Torſit in externos, & fratrem afflauit acerbo
Vlcere: ſic ſæpe externis quæ Patria non eſt,
Aut odiis aut peſte nocet: ſeceſſerat vrbe
Vt peſtem & mortem fugeret, ſed neſcius vrbem
Et ſecum peſtem traxit; vel perfida rura
Sæpe ægris plus vrbe nocent: huic dum omnia deſunt,
Ne frater quoque deficeret; præſentia morbi
Et fratris non lentus amor rus ire coëgit.
Hîc ego vt ignoto vidi tabeſcere morbo,
Et flamma paſci interna, quot munera ſolus
Suſtinui? Medici, & fratris, ſocijque fidelis;
Ars amor & medicamen erat; ſed fortior arte
Vis morbi fuit, & tandem mens ſola medelæ
Apta erat; hæc hominis pars prima, & neſcia lethi;
Huic ego ſolicitus prouidi, huic vltima verba
Suggeſſi,

Suggeſſi, & fratrem prope ſum comitatus euntem.
Hic mihi fons morbi, tractatæque alea peſtis;
Scilicet has inter curas, vigileſque labores:
Noxius irrepſit membris languentibus ardor,
Siue is amor, ſiue ignis erat; quam peſtifer eſſet,
Iam nigræ, mox vda albæ veſtigia linguæ
Prodebamt nocui fuligo aut ſpuma veneni;
Hinc Medicis atque inde metus: iam publica iura
Interdicta mihi, telluſque, & publicus aër
Priuatim tantum eſſe meus: ſic cuncta timentur,
Tactuſque, aſpectuſque mali, ſpirataque verba,
Ipſa etiam peſtis prope formidatur imago.
Mons Charitum eſt, Nymphis ſedes, & amata Lyæo;
Effugium tunc peſtis erat, Nymphiſque fugatis,
Et morbum metuente Deo; pars imminet vrbi,
Pars altè laqueos & publica crimina ſpectat,
Pendêre, & literis homines rareſcere longis.
Hic medio mihi colle domus, domus arcta diei,
Et nocti tantum, ac lento ſatis ampla ſepulchro;
Sol vetitus puræ ne lucida tela diei,
Labem aliis ex me traherent, vix luce malignâ
Sciſſuras antri, & radiis ſpargebat auaris.
Hîc ego vt anguſto clauſum me carcere vidi,
Et ſolum in tenebris captiuáque aëris vmbra
Cum morbo ſupereſſe Deum; ſatis, ô ſatis inquam,
Si præſens mihi Numen ades, dum cætera deſunt;
O felix iactura hominum, pretioſaque rerum
Alea, cui lucrum Deus eſt, verſuraque cælum,
Magne orbis Rector, rerum fortuna mearum,
E manibus ſuſpenſa tuis mea ſtamina pendent,
Diuide, volue, ſeca, placet eſſe volubile filum.
Dum digiti ſint Parca tui: tamen altera fratrum
Si ſatis eſſe poteſt placando victima cælo,
Currat adhuc aucto ſubtegmine longior ætas,
Criminibuſque meis forfex hoc pignore parcat,
Vt redimam lapſos annis melioribus annos,

Dilatæ exemplum pœnæ ; poſt vulnera cantus,
Poſt virgas melior ; neu fallat debile votum
Te prædem Loyola meum, partæque ſalutis
Sponſorem eſſe volo, ſi tela nocentia peſtis
Deuoto capiti placas, & Numinis iras,
Tum mihi nona tuas morietur victima ad aras,
Et memori virtus teſtata hoc carmine viuet.
Dixeram, & afflictæ paulatim aſſurgere vires,
Deleti grauidæ ſenſim viſtigia linguæ,
Denique poſt obitum, plorataque funera viuo,
Et memori grates votiuo carmine ſoluo.

PARS QVARTA.

MISCELLANEA.

ELOGIVM POETICVM Sacræ Syndonis Biſontinæ.

NON Mundi hæc, ſed mappa Dei eſt ; prior illa rotundi
Interualla globi, laudeſque & probra locorum,
Et pacem, & pugnas chartâ permiſcet in vnâ,
Et punctum eſt quod tot calamis, gladiiſque ſecatur,
Hic curſus, caſuſque hominum, nec arena timetur :
Plus mundo mappa iſta gerit, vaga machina mundi,
Pendet diuinæ librata è pollice dextræ,

Fert

Fert totam tela iſta manum; Deus omnia Verbo
Suſtinet, & tanto incumbit leue pondus Athlanti;
Et Deus, & totum portatur Syndone Verbum.
Vtrique hoc diſpar tabulæ, nuda orbis imago eſt,
Hæc magni pluſquam vmbra Dei; vis illa cruoris
Quæ manuum, & lateris plagas, atque ora colorat,
Hæc ſanies olim Verbo ſociata marito eſt,
Nunc etiam retinet venerandum in Syndone Numen,
Et Sponſi monimenta Dei. O venerabilis humor!
O animæ ſedes diuinæ! ô amabile vinclum
Quo nupſit Natura Deo! Te ſanguis adoro
Sub magnâ viuentem animâ, perque humida membra
Miſcentem Verbo humanæ commercia vitæ;
Te veneror laceræ rorantem è vulnere carnis,
Dum totum fons corpus erat; Tu lance repoſtus
Diuinâ, & iuſtæ pendens examine libræ
Humanis pondus vitiis æquale fuiſti,
Et culpam ſuperauit onus. Te rurſus adoro
Alme cruor, telamque tuo de rore madentem;
O ſacræ pretium telæ, quam pictor inumbrat,
Et tingit de rore ſuo: Non doctus Apelles,
Non ita Protogenes proprio ſe ſanguine pingit,
Et color, & propriæ lumen, radiuſque tabellæ,
Et Pater ipſe ſui. Quid ſi poſt funera Chriſtus
Diuinum producit opus? ſi morte ſepulti
Illuſtrant pingentem oculi? ſi dextera vinclis
Implicita efformat varias immota figuras,
Et pingit quod neſcit opus? quid ſi vmbra ſepulchri,
Et ſitus, & tenebræ, & viuæ mors profuit arti?
Quin etiam has adhibet Deus ad miracula cauſas,
Et famulas operas, ſic dum componeret orbem,
Naſcentis primùm mundi inſtrumenta fuère,
Et nihilum, & tenebræ; ſic vt ſudaria pingat
Et cinis, & tumulus, tenebræque, & ſquallor, & ipſa
Mors famula eſt; gaudet Domino parêre iubenti,
Et vitam dat vitæ expers: Vix Chriſtus ab vmbris
Lethiferis

Lethiferis olidum plorans clamarat amicum;
Ecce tibi tumuli rupto de carcere prodit
Lazarus,& victi præfert ſpolia ampla ſepulchri;
Res noua! lethales adſtringunt membra catenæ,
Vincta tamen ſe crura mouent; mors viua putatur,
Ambulat effoſſus cinis,& ſudaria viuunt.
Hæc quiſquis maiora putas, expende iubentis
Imperium, tunc quæ mundus miracula credit,
Ars erit, & Natura Dei: non aridus illi,
Et ſterilis ſermo, non infœcunda voluntas,
Nutum opus, & vocem dicentis fata ſequuntur.
Dixerat, & verbo tellus ſtetit, vnda cucurrit,
Aërque, & Cælum nutu ſublime pependit.
Dixerat, & ſanguis per telam ex ordine fluxit,
Et caput, & manuum labes, & pectoris antrum,
Idem opifex mundum ſermo, & ſudaria pinxit.
Nil ego iam miror mediæ per prælia flammæ,
Arſiſſe illæſam telam, viuoſque colores,
Sub cinere, & calce, & gelidis rubuiſſe ſub vndis
Ridet aquas Syndon, flammas irridet edaces,
Ex quo pingentis rubuit de murice Christi,
Et picto bibit ore Deum: Bellator Hebræus
Quo duce pugnantes equitarunt aëre nubes,
Et miles natura fuit, medio æthere vidit
Radices egiſſe rubum, cui brachia circum,
Armataſque comas horrentis acumine ſpinæ,
Flamma equitans,rubeiſque affigens oſcula linguis,
Pugnæ inſtar pulchri edebat ſpectacula ludi,
Attonitus viſis Moſes, dum lumina figit
Altius, in medij miratur pectore dumi
Præſentem latitare Deum, circumque tribunal
Purpureum,roſeis hæc verba inſcripta figuris,
Viuitur in flammis, inter contraria pax eſt.
Siſte tamen Moſes,hæc temporis vmbra futuri,
In mediis Virgo flammis, & Chriſtus in igne eſt,
Et iam tum in mediis ludunt ſudaria flammis,
Quidni

Quidni ignis telæ parcat, qui luſit in vmbra?
Nec ſolæ telam flammæ, ſed tempus adorat,
Et fluxum reueretur opus; ſi ferrea Syndon,
Si magnes, Adamaſque eſſet, ſenſiſſet edacis
Detrimenta æui, rodentemque omnia limam:
Quod duret Deus eſt, parcunt elementa cruori,
Et telæ impreſſam venerantur ſecla figuram.
Expende annorum ſeriem, dilapſaque ſecla,
Ridebis ſenuiſſe cedros, pallêre metalla,
Marmoraque, & ſenibus gemmas horreſcere rugis,
Et iuuenem Telam illæsâ durare figurâ,
Mutato toties inter tot ſæcula mundo.
Quid tibi Chryſopolis Telæ dubitatur origo,
Donatæque annus veſtis, craſſoque lapillo
Obſignanda dies? celauit tempora Chriſtus
Vt ſolus ſit doni Author, quid tempora curas?
Authoremque hominem, dum Tela & munera conſtant
Et toto patet ore Deus.
Ecce Deum plenis elementa in ſyndone linguis
Proclamant, & ne voci experientia deſit,
Facundis euulgat homo miracula membris,
Expertumque Deum; quis veri certior Author
Eſſe queat, quam dum ſpectat miracula cæcus?
Quæ tuba nobilior quàm dum præconia mutus,
Et Telæ laudes loquitur; plantæque, manuſque,
Sanatique artus ſacri ſunt pignora doni,
Et totidem teſtes iurant ſudaria linguæ.
Quin etiam Telæ numen confirmat Auernus,
Et dum eiuratæ clamant incendia laruæ,
Plus aliquid tela eſt quod ſic torquêre fatentur;
Torquet idem in Tela numen, quod torquet in igne.
O quantus Chriſte es, cuius ſic vmbra timetur!
Quam dulces artus quorum ſic veſtis amatur!
Dulces exuuiæ, blandum, & venerabile munus,
Vmbra Dei, Sanguis Chriſti, & cum ſanguine Numen.
Igniuomis vates raptus ſublime quadrigis,

Et

Et virgam, & mœſto chlamydem legauit amico;
Plus aliquid Chriſtus legat, ſic Syndon imago eſt,
Vt ſanguis quo picta rubet, ſub numine membrum
Parſque Dei fuerit Felix hoc munere tanto
Chryſopolis, tela dignata, & ſanguine Chriſti;
Ante tibi pulchro nomen ſplendebat ab auro,
Maior honos ſurgit, nunc Chriſti, & ſanguinis hæres,
Debes Chriſtopolis mutato nomine dici.

BEATI FRANCISCI SALESII EPISCOPI GENEVENSIS; ad ſuam Geneuam Paræneſis.

AVDI Paſtoris vocem dilecta Geneua,
Vera loquar, neſcit purum mendacia Cœlum;
Fallere nec ſuperi poſſunt, & fallere nolunt;
Damnaret fraus illa Deum; decepta Geneua
Errores agnoſce tuos; deceptio prima eſt
Eiuraſſe fidem Petri, Romamque Magiſtram,
Et Chriſtum finxiſſe nouum, noua Sacramenta,
Templa noua, & nuda, & ſacris Altaribus Agnum
Præſentem vacuis repræſentare figuris,
Et ſterili cœnare fide: ſed inanis imago
Si placet in Cœnam, cur non in imagine Chriſtus
Penè iterùm moriens, iterúmque ex arbore pendens,
Cur

Cur arbor non ipſa placet ? Cur matris imago
Diſplicet, & Cœli Virgo, mundique Patrona,
Cur non eſt Patrona tui ? Cur Cœlituum Aula
Non eſt Aula tibi ? Procereſque, & Regis amicos
Cur dubitas poſſe eſſe tuos ? ſpeculumque videntes,
Monſtrantemque Deum, cur cæcos eſſe Beatos,
Aut cæcum vis eſſe Deum ?
Grex dilecte mihi, quis te per deuia Paſtor
Abduxit, prædamque lupis objecit edendam ?
Et lupus ipſe fuit ? pellis decepit ouina ;
Sed lupus, & falsâ Tygris ſub pelle latebat,
Et Paſtor decepit ouem. Miſeranda Geneua
Doctrinam dediſce nouam, Romamque docentem,
Et fidei antiquæ veteres agnoſce Magiſtros :
Enumera Patrêſque tuos, Patrumque Nepotes,
Doctrinæque nouæ iuuenes miraberis annos :
Quin etiam viuunt intra tua mœnia ciues,
Qui vidêre nouæ naſci cunabula ſectæ.
Aſpice ſublimes turres, pendentiaque æra,
Inciſoſque metallo annos, impreſſaque ſigna ,
Monſtrabunt hæc æra Petrum, Romamque ſonabunt.
Deſcende, & ſtratos lapides, & marmora luſtra,
Hic jacet indutus ſolemni veſte Sacerdos,
Elatuſque calix, & ſacræ inſignia Miſſæ ,
Et quæ tu rides myſteria marmor adorat.
Sublimes attolle oculos, vitreaſque feneſtras
Aſpice, viuit in hac rediuiuus imagine Chriſtus,
Gratatur Virgo, ſacriſque dat oſcula plantis,
Et tacitus Matri narrat miracula Natus.
Parte alia Cœlum ſcandit, ſpectantque, dolentque
Diſcipuli , ſequitur triſtis ſingultus in auras ,
Excipitur Cælo, auditur ſuper aëra cantus,
Et vitrum ſudat lacrymis, & gaudia ſentit.
Hic medios inter Laurentius vritur ignes,
Apparent flammæ, & parcunt incendia vitro.
Hîc Stephani carnes lacerant immania ſaxa,

Admittit

Admittit lapides vitrum, ſaxiſque reſiſtit.
Heu veteris fidei vitrum veſtigia ſeruat,
Et veteris delet fidei monimenta Geneua !
Quod ſolidum eſt non durat, & eſt durabile vitrum.
Grex dilecte mihi, veteres agnoſce Magiſtros,
Et dediſce nouos : noua te doctrina feſellit,
Et falſum eſt dogma omne nouum ; diuina vetuſta,
Nil cœleſte nouum eſt, Deus ipſe erroneus eſſet,
Si poſſet nouus eſſe Deus.

DIVO FRANCISCO XAVERIO CARMEN PROSCLETICVM,

Seu inuitatio ad nouum Templum Gratianopoli erectum.

XAVERI, dum te totum ſibi mundus eous
Vendicat, occidui lædit commercia mundi ;
Pars illi ſatis vna tui eſt, pars altera nobis :
Sol vnus geminum radiis illuminat orbem,
Nec tua lux eſt ſole minor ; potes eſſe duobus,
Et mundis ſol eſſe tribus.
Nec te igitur Sina imberbis, nec Simus Iappon,
Nec Goa te totum teneat ; te credidit Indis,

Non

Non te Roma dedit : debet te reddere Ganges :
Et patriis ſolem cum fœnore reddimus oris,
Et fœnus de ſole licet.
Audiit occidui votum Xauerius orbis,
Et gemini cupidus mundi ſe donat vtrique,
Et ſatis vtrique eſt ; retinet Diuum India totum,
Et reddit totum Europæ, nec iam vnica tellus,
Nec totum gens vna colit, certamine pulchro
Et Reges, populique nouo de Cœlite certant,
Hiſpanus, Galluſque ſuis junxere Patronis,
Adjunxit Roma ipſa ſuis, fit tutor vbique,
Et mundus fit vbique cliens.
Admirans alias vrbes hoc Cœlite tutas,
Vrbs Iſaræ, & Draci domina, hunc deuota Patronum,
Ipſa quoque aſſumo, dixit, meque ipſa clientem,
Et ciues ſummitto meos, & nobile pignus
Obſequij, erectum Diui de nomine templum,
Votiuaſque aras pono, & Goa gallica fio.
Prodigiis fundata nouis ſtat nobilis ædes,
Ipſaque prodigium eſt, non hanc Malabricia gemma
Nec Potoſinum aurum, nec lima argentea ſtruxit,
Materies vacuum, nihilum fundamina jecit ;
Et ſi quid nihilo minus eſt ; Xauerius Author
Authori ſuffecit opes, & lignea tecta
Diruit, & quercus in ſaxa & marmora vertit ;
Et gemmas, & habent noſtri ſua marmora montes,
Et Ganges Iſara eſt, & Draco eſt æmulus Indus.
Adjuuêre domum priuata & publica dona,
Promouit Lodoicus opus, precibuſque Parentum
Xauerio impetrante datus, regalia vota,
Promiſſamque fidem votiuo liberat auro.
Liligeri Regis Prorex exempla ſecutus
Altare, & quidquid ſubſtructis addere lignis
Auri forma poteſt pretioſæ ſumptibus artis
Addidit ; & lignum penè immutauit in aurum.
Impoſita altari diui ſpectatur imago,

Spectatur

Spectatur forma ipſa viri, loquiturque, docetque,
Auditurque docens, aut hac in imagine viuit,
Aut quæ diſſeruit viuus, poſt funera dicit;
Sic oculos, fallitque aures, nec fallit imago,
Sic falli vera arte placet.
Sed templo frons digna deeſt, & lignea vultus
Supplementa caſam ſapiunt, & ruſtica tecta:
Atque hoc Xauerij probrum eſt, & dedecus vrbis;
Rideret frontem agreſtem ſi cerneret Indus,
Paſtoreſque operis non auſus dicere fabros,
Ambiguum accuſaret opus.
Huc tamen, huc Franciſce veni, Te nobilis aula,
Te fiſcus vocat, & populus, Te Clerus vterque,
Te Cleri annoſus Princeps, ædemque ſacrare,
Et gemmis ornare parat, quas India miſit,
Vna ſatis capiti eſt, mediæ ſatis altera fronti,
Et geminis ſatis vna oculis: mirabitur orbis
Antiquus pretioſa noui donaria mundi,
Laudabunt dona authorem, ſpectabitur ipſe
Ter tribus in gemmis, idem diuiſus, & vnus.
Spectator ſpeculumque ſui Xauerius vnus,
Et geminum annoſo ſuperaddet Neſtoris æuum,
Terque ſenem dabit eſſe ſeni.



† IHS

HYMNVS ECCLESIASTICVS S. IGNATIO.

HVNC Mater in præſepio
Parit futuri neſcia,
Iam Ieſuita naſcitur
Chriſti futurus aſſecla.
Ad Pampilonis mœnia
Graui ruina ſternitur,
Nunquam cucurrit rectius
Quam dum laborat tibia.
Morbus fit illi ſanitas,
Dum facta Sanctorum legit,
Fit ipſe Sanctus, & facit
Piis legenda poſteris.
Apparet ægroto Petrus,
Virgo ſaluti vendicat,
Miles futurus filij,
Priùs Mariæ militat.
In æde ſacra Virginis
Appendit arma Militis,
Vili lacerna clarior,
Quàm dum rubet ſub purpurâ.

Vt impudici temperet
Flammas, aquis immergitur:
Non ante viſus frigidis
Amor ferire ſpiculis.
In æde ſacra Martyrum
Ponit rudimenta Ordinis,
Qualis putas erit domus
Naſcens ſuper cacumina!
Bis quinque Chriſti Milites
Dicunt Sacramentum Deo
Conuerſioni Gentium,
Et mundus eſt votis minor.
Nouos IESVS Milites
Suo coronat nomine,
Sed quanta ſint olim docet,
Sub hoc ferenda nomine.
Ignatius Sodalibus
Orbis labores diuidit,
Et primus in laboribus
Omnes labores ſuſcipit.
Famem, catenas, verbera,
Amore Chriſti pertulit;
Sed pœna maior omnibus
Non poſſe plura perpeti.
His vixit in laboribus,
Cæli ſed inter gaudia,
Nunc deſpicit quæ ſæpius
Suſpexit olim ſydera.
Tibi Pater ſit gloria,
Tibique Patris Vnice,
Tibique Sancte Spiritus,
In ſeculorum ſecula.

HYMNVS

HYMNVS ECCLESIASTICVS
SANCTO FRANCISCO
XAVERIO.

AVTHORE Naturæ Deo
Natura mutat ordinem,
Lux ſolis inde naſcitur
Vbi mori conſueuerat.
  Franciſcus Indis Gentibus
Cœleſte Numen nuntiat,
Plagis Eois Occidens
Solem, dïemque commodat.
  Aurum, lapillos India
Gemmas, odores congerat,
Æquale nil Ganges habet
Quod Occidenti deferat.
  Dum dormit Indi ſarcinam
Pendêre collo ſomniat,
Somno ſolutus curſitat
Vtrâque onuſtus Indiâ.
  Ingens, & orbe vaſtius
In orbe pectus æſtuat,
Chriſtoque mundos ſubdere
Plures duobus cogitat.
  Sat eſt Deus, clamat, ſat eſt,
Mens plena Cæli gaudiis,
At non ſat eſt, ſed amplius

Exclamat in laboribus.
Franciſce pectus explica,
Totumque Numen excipe;
Adſunt quibus ſuperfluæ
Rores refundas gratiæ.
Orantis è manu crucem
Excuſſit vnda fluctuans,
Fleuit, minaſque fluctuum
Vnâ repreſſit lacrymâ.
Cancer recuruis brachiis
Crucem reportat littori,
Dum ſic adorat quem videt,
Rectâ tetendit ſemitâ.
Iam millionem Gentium
Sacris fluentis merſerat;
Minor capaci pectore
Et Indus, & Ganges erat.
Metas Sinarum viderat,
Et Solis incunabula,
Vltra diei limitem
Lucêre Sol nouus parat.
Franciſce greſſum comprime,
Cœloque permuta Sinas,
Qui nunc negantur hoſpiti,
Olim patebunt Cœliti.
Tibi Pater ſit gloria,
Tibique Patris vnice,
Tibique Sancte Spiritus,
In ſeculorum ſecula.

EPISTOLA

EPISTOLÆ
TRIVM PERSONARVM DIVINARVM, AD DEIPARAM VIRGINEM,
De Incarnatione VERBI per Gabrielem Archangelum.

EPISTOLA PRIMA PATRIS ÆTERNI.

HANC Pater æternus mittit tibi Virgo ſalutem;
 Hæc Genitor verbis dat tibi verba meis.
Virgo creatarum pulcherrima linea rerum,
 Artificem ſi qua eſt rite ſecuta manum.
Accipe diuinus ſanxit quæ fata Senatus,
 Et quæ fata polus ſanciit, illa proba.
Hæc licet imponant aliis rata fœdera rebus,
 Expectant nutus officioſa tuos.
Ex quo prima parens ſimulati fraudibus anguis,
 Illuſa, & vetitæ capta colore dapis.

Pendula furaci tentauit pollice mala,
  Fatali tenuit quot mala prenſa manu!
At dum ſacrilegi preſſit ſub vulnere dentis,
  Sub vetita ſenſit quot mala preſſa dape!
Vt ſi quis grauidæ tranſuerberet ilia Ceruæ,
  Quot populis vno vulnere parca venit!
Prima parens fœta populos geſtabat in aluo,
  Tectus in anguſto germine mundus erat.
Illa venenata dum figit arundine pectus,
  Quam ſerus gemuit tela recepta nepos!
Poſt ſcelus hoc patrium, nubes quam denſa malorum
  Impluit humanis exitioſa plagis!
Hac aſperſa arbor vitiatæ aſpergine nubis,
  Quid ſi cultori poma maligna tulit?
Quid ſi corruptis vltro ſuccreuit in agris,
  Et febrium, & diræ mortis amara ſeges.
Quis numeret lapſas poſt hæc ad tartara prædas,
  Empyreæ melius præda futura domus.
Quin etiam diro eſt natura afflata veneno,
  Communemque ignis ſenſit, & vnda luem.
Hinc reus exarſit flammis vltricibus orbis,
  Et toto nocuum quæritur orbe caput.
Oceanus ſtagnis terras oppreſſit aquoſis?
  Quid niſi ſtagnantes hoc ſcelus auxit aquas?
Aër peſtiferæ ſenſit contagia tabis,
  Infecit vacuas quid niſi culpa plagas?
Excurrit toties vndantibus ignis habenis?
  Quid niſi flammantes hoc ſcelus egit equos?
Frugiferens homini tellus alimenta negauit!
  Frugiferos clauſit quid niſi culpa ſinus.
Tanti eſt æterni Numen violaſſe Tonantis,
  Hæc nocuum vindex verberat ira caput.
Officioſa ſui probrum natura Parentis
  Senſit, & authori commodat arma ſuo.
Nunc ſatis irarum eſt, rerum natura quieſcat,
  Ceſſent in pœnas feſſa elementa ſuas.

Hæc

Hæc tandem vltrices abſiſtat dextera flammas,
Ponat & attrita cuſpide fulmen hebes.
Nunc ſortem germana ſuam Clementia poſcit,
Ne par obtineat iura minora ſoror.
Ter dena vltrices ſenſerunt ſecula pœnas,
Vltima felici tempora pace fluant.
Empyreas deinceps homo tranſcribatur in ædes,
Empyreæ natus ſceptra tenere domus.
Afflicto deinceps homini ſua proſit imago;
Inciſa artifici proſit imago manu.
Fœmina compenſet fecit quod fœmina damnum,
Cauſaque ſit vitæ quæ necis anſa fuit.
Hæc eris ô Virgo, Matris tu nomina primæ
Emenda, & factis corrige facta tuis.
Ex te Dîus homo humanæ velamina formæ
Induat, & primi ſarciat acta patris.
Tu radix illius eris, tu ſanguinis author,
Sanguinis, & virgæ flos erit ille tuæ.
Grandis honor tanta fieri te prole parentem,
Vnum hominis dici germen idemque Dei.
Grandis honos quem vix ventura intelligat ætas,
Sola ſciet doctâ clarior arte fides.
Mater eris, proleſque Dei, paritura parentem,
Virgo virum, Patrem Mater, alumna Deum,
Hæc immortalis ſanxit decreta Senatus,
Arbitrium expectant nunc tamen illa tuum.

EPISTOLA SECVNDA VERBI ÆTERNI AD B. VIRGINEM.

ILLE tibi æternam Virgo dat habere ſalutem,
Cuius ab arbitrio ſtat ſua cuique ſalus.
Hæc Patris Æterni Verbum tibi patria verba,
Et Perſonarum nuntiat acta trium.
Sic Superis placitum humanam reparare ruinam,
Et ſimul offenſi ius reparare Dei.
Huic inſtaurandæ paci res nulla creata
Par erat, & ſolus par erat ipſe Deus.
Huic ego conſilio dixi me ſponte paratum,
Et Perſonarum vox fuit vna trium.
Ergo placet ſuperas retinere & linquere ſedes,
Et luteas hoſpes magnus adire caſas.
Humanæ latitare placet ſub imagine formæ,
Subque viro æternum diſſimulare Deum.
Tum pretio redimam mortalia nomina digno,
Iratumque homini conciliabo Deum.
Sed dum mortali petitur mihi Mater in orbe,
In tantam placuit ſors tua Virgo vicem.
Ingenium, moreſque tui, pietaſque, pudorque,
Et magis hoc vno nomine Virgo places.
Si naſci Numen, naſci de Virgine debet,
Et Virgo hoc partu debuit eſſe parens.
Sors ergo ſi tanta placet, ſi nomina Matris,
Si magni pateris Numinis eſſe Parens,

Accipe

Accipe diuini veneranda arbitria pacti,
  Arbitrium expectant quæ tamen ipſa tuum.
Exiguam magnus deſcendam habitator in ædem,
  Vt lateam anguſtus debuit eſſe ſinus.
Hic mihi mortalis diſtinguam membra figuræ,
  Materiem Virgo, Spiritus addet opus.
Illic nona Deum latitantem luna videbit,
  Celari ſimili vellet & ipſa ſinu.
Hic ego turgenti fœtus geſtabor in aluo,
  Sarcina vectricis non oneroſa meæ.
Illic exiguo Titan decurret in orbe,
  Sol ego, tu ſolis lucidus orbis eris.
Illic rorifluo ſuccreſcet littore gemma,
  Gemma ego, tu gemmæ littus & æquor eris.
Illic irriguo ſurget flos pulcher in horto,
  Flos ego, tu floris gemineus hortus eris.
Anguſto claudes gremio quo clauditur orbis,
  Maior erit magnô Virginis orbe ſinus.
Aſt vbi luna ſuos nouies iterauerit ortus,
  Hoſpes virgineo gratus abibo lare.
Regia Solis erit quâ ſol habitauit in æde,
  Templum erit, æterni quæ fuit aula Dei.
At cum vitales tandem deducta ſub auras,
  Cœperit humanum paſcere vita diem.
His ego molliculis Matri aſſentabor ocellis,
  E quibus aurifluus manat in aſtra nitor:
His ego maternis affigam baſia labris,
  Purpureæ creſcet ſub quibus vmbra roſæ.
Hic ego virgineas infans reptabo per vlnas,
  Inque tuo figam cœlica ſigna ſinu.
Tu mihi lactentes rorabis ab vbere ſuccos,
  Qui nitida ambroſiis roribus aſtra beo.
Tu mihi debilibus figes veſtigia plantis,
  A quo habet emenſum ſtelliger orbis iter.
Tu mihi vocalis diſtingues verba loquelæ,
  Vnde habet argutos ales vterque ſonos.

Mox vbi maturis ætas adoleuerit annis,
Ætas in nutus obſequioſa tuos.
Tu mihi præſtandi diſtingues penſa laboris:
Ipſe feram dociles ad tua iuſſa manus.
Sed cum robuſtos ætas firmauerit annos,
Hæc erit Altori dextra operoſa ſuo.
Fabriles habilis tractabit dextra dolabras,
Dexterá quæ magnos eſt fabricata polos.
Sæpe mihi volucres ſinuabitur orbis in orbes,
Vnde ſuis currunt noxque, dieſque rotis.
In noua deciſas aptabo ſedilia ſyluas,
Vnde ſedent propriis fixa elementa locis.
Sæpe arbor iuſſas vltro ingenioſa figuras
Induet, artificem deuenerata manum.
Has operas ô quiſquis emes ſi nomina noſſes
Artificis, fieret quam tibi diues opus!
Tandem vbi ter denos ætas æquauerit annos,
Tunc me nobilius ſollicitabit opus.
Tunc curanda ſalus hominum: tunc legibus orbis,
Lex Euangelij eſt adjicienda mei.
Hæc emendabit veterum iuſſa aſpera legum,
Et facile impoſitum gratia reddet onus.
Ne legem detrectet homo, legem ipſe ſubibo,
Vt comitetur homo, præuius ibo Deus.
Ne ſit egena fides addam miracula dictis,
Et fidei mundus teſtis & obſes erit.
Has ego per curas, hominum inſtaurabo ſalutem,
E quibus in Matrem non leuis ibit honos.
Hæc tamen vt per me rerum miracula fiant,
Arbitrium expecto Virgo pudica tuum.

EPISTOLA

EPISTOLA TERTIA.

SPIRITVS SANCTI AD B. VIRGINEM.

SCRIPTA tibi ex illo defertur epiſtola Virgo,
Qui digitus dextræ eſt, ipſaque dextra Dei.
Si facilis magnæ admittis connubia ſortis,
Si ſponſa, & magni vis Nurus eſſe Dei.
Virgo illibati ne damna verére pudoris,
Et Virgo, & ſponſo Virgine Mater eris.
Quid metuis ne purus amat quæ lilia ſponſus;
Lilia dum carpit, polluat illa Deus.
Aſpicis vt purum ſubeat ſpecularia lumen,
Nec ſpeculare tamen dum ſubit, afflat iter,
Cernis vt aërios tractus quæ permeat aura,
Terrenos eadem permeat aura ſinus.
Et nos ſubtili penetramus corpora ſenſu,
Nec penetrata tamen corpora vulnus habent.
Spiritus eſt, puraque Deus ſubtilior aura,
Maternum ingrediens non violabit iter,
Quid metuis ne quem Deus affectauit honorem,
Et quam delegit polluat ipſe niuem.
Ipſe ſuperueniam Supremi altiſſima virtus,
Ipſeque virgineos vmbra fouebo ſatus.
Ex te ſumentur magni vitalia partus
Semina, diuinùm Spiritus addet opus.
Vt dum mollis Apes per florida ſerta vagatur,

Hoc

Hoc amat, hoc linguâ lingit, id ore legit.
Hoc liquido ſtipat, diſtentas nectare cellas;
Hoc cudit ſapidos ingenioſa fauos.
Hic tu eris ambroſiis gemmaſcens floribus hortus,
Hos ego per flores regia paſcar apis,
Hic ego ſertorum calyces prædabor apertos,
Et carnem ex purâ carne parabo Deo.
Formam ego, tu magni præbebis ſemina partus,
Mater eris, dicar nec tamen ipſe parens.
Atque vt ne dubites artis quæ gloria noſtræ.
Et quid in æternum dextera poſſit opus.
Aſpice diuiſas rerum toto orbe figuras,
Authori variâ ſurgit ab arte decus.
Aſpice nocturnis Cœli laquearia flammis
Ardêre, has flammas ſubdidit iſte calor.
Aſpice conſtanti volui fixa aſtra rotatu,
Cœleſtes animat Spiritus iſte rotas.
Aſpice perflatum ſpirantibus aëra ventis,
Hæc tumidos inflat vis animoſa notos.
Aſpice fœcundo terræ turgentia partu
Viſcera, maternos hæc alit aura ſatus.
Æquorei certo ſpumant libramine fluctus?
A me habet alternas mobilis vnda vices.
Orbis adhuc informis erat, ſuper alta ferebar,
In faciles æquans humida regna vias.
Squamoſa ludunt per cærula marmora piſces,
In ſuam, & humanam gens populoſa dapem.
Fertilis hæc à me manauit in æquora virtus,
Incuba dum ſalſis vis erat iſta vadis.
Aſpice cœleſti turgentes ſemine conchas,
Concha omnis turget ſemine fœta meo.
Roribus empyreis fœcunda implebere Virgo,
Ros ego, tu puro germine mater eris.
Tu magni genitrix Nati, tu filia Patris,
Tu ſponſa, ipſe tui ſponſor honoris ero.
Tu domus, ipſe tuæ fiet Deus incola mentis,

Tu templum, templi ſpiritus hoſpes erit.
Nauis eris ſuperæ vectans commercia gazæ,
Ipſe tuæ fiam mobilis aura rati.
Lumen ero vt rutilum vultus ſplendeſcat in aurum,
Pectus vt in flammas ardeat, ignis ero.
Munus ero, vt ſponſam donis cœleſtibus ornem,
Vt toto repleam Numine, Numen ero.
Collige per totum quidquid diuiſimus orbem,
Vt Mater fias, fiet id omne tuum.
Hæc ſunt Empyrei Virgo decreta Senatus,
Expectant nutus, & tamen illa tuos.

NATVRÆ MVNVS
CHRISTO NATO.

ELEGIA.

MAGNE Puer neu te patrios liquiſſe penates,
Neu pigeat noſtros hoſpes adiſſe lares.
Accipe quæ manuum munus Natura ſuarum
Dona parat, meritis non tamen æqua tuis.
Hæc ſi naſcenti eôum cunabula Regum
Non dedit, & phrygiæ vaſa ſuperba domus.
Fecerunt inopina tui miracula partus,
Et ſubitus tanta de nouitate ſtupor.
Illa Deum vt nudis vidit vagire ſub antris,
Plorat, ait, nudo ſub Iouis axe Deus.

Mox

Mox Numen mirata Dei, ne vilia ferret,
  Nil tulit, hinc tectis, & lare Chriſte cares,
Quod potuit Reges feſtina accerſit eos,
  Ite ait, en magni præuia ſtella Dei.
Dicite, Natura hæc Regum præludia mittit,
  Dum parat Authori munera digna ſuo.
Dum Reges, dum ſtella volat, natura magiſtras
  Diuinum in munus colligit apta manus.
Veſtis erat, tenuis decidua vellera lini
  Materies, pretium maius ab arte fuit.
Textilis, hæc imas ſignabat ſyrmatis oras,
  Littera, Tu Regum ſanguis alumnus eris.
Quis numeret doctâ diſtinctas arte figuras,
  Regia quot modicum ſceptra volumen habet!
Nunc ite, & latis famam protendite terris,
  Quam tenuis Regum prædia lymbus habet.
Ne tamen hac cingi Reges ægreſcite zonâ,
  Hæc eadem immenſum continet ora Deum.
Hoc tenui in lymbo ſceptris erat omnibus ordo,
  O ſi hic Regnorum finibus ordo foret!
Primus honos Aquilæ, hæc quamuis Regina volucrũ,
  Captiua hac ſemper gaudeat eſſe togâ.
Hîc Conſtantinus medias vexilla per auras,
  Aſpicit, & rutilis verba legenda notis.
Conſtantine ferum Martem Chriſto auſpice muta,
  Quale ſit hoc Numen ſi petis aſtra probant.
Quis procul ille Cruci collum ſupponit anhelum?
  Quàm male fert durum purpura mollis onus!
Protinus vt Regem excuſſit vix pondera ſentit;
  I Princeps, Chriſtus ſub cruce talis erat.
At quænam hæc grauium ſeries numeroſa Regentum?
  Inſigne eſt ſpirans auſter, alauda volans.
Horum intra fines Titan oriturque, caditque,
  Parua erat, & maior fiet, & vna domus.
Parte alia Cælo flores, & balſama ſudant,
  Quale erit hoc Regnum cui decus aſtra pluunt?

Roribus

Roribus his collum mitis ſuppone Sicamber,
  Non aliis ſimilis Regibus vnda pluit.
Quin etiam Francis edet miracula Cœlum,
  Et medicam Regum ſentiet orbis opem.
Saracene quid hæc corrumpere lilia tentas?
  Martelle huic hydræ malleus eſſe potes.
Aſt hi Ieſſæis important lilia campis;
  Debuit hæc tali creſcere planta ſolo,
I Peluſiacas felix Lodoice per vndas,
  Quod prima hæc nequeunt vela, ſecunda dabunt.
Hæc quoque ſi pereunt, fieri Rex orbis eoi
  Non potes, hoc fieri ſanctus in orbe potes.
Quin tuus his olim plantas decerpet in hortis
  Sanguis, & hæc ſceptris ſeruiet ora tuis.
Longa quidem vota, at ſaltem tunc fiet Idume
  Gallica, cum totus Gallicus orbis erit.
Francigenos iuxta flores flos Anglicus halat,
  Si foret æternus quàm pretioſus erat!
Ah ſpinæ, ah tribuli! forſan voluentibus annis
  Reſtituent puras lilia mixta roſas.
Hanc Chriſto infanti veſtem natura parabat,
  Regia dona quidem, non tamen æqua Deo.
Induet hanc exors annis puerilibus Infans,
  Diuiniſque humeris regia dona feret.
Felices illis humeris incumbere Reges!
  Queis humeris Cælum nititur, æthra ſedet.

PROSOPOPOEIA.

CRETÆ DEPLORANTIS fortunam ſuam, ſperantis tamen victoriam, & auxilium à Papa, & Regibus poſtulantis.

Illa ego tot quondam titulis,& honoribus aucta,
Nobilis vrbs, & nunc vrbis lugubre cadauer
Fortunam deploro meam: Sol omnia luſtrans
Nil vidit ſub ſole meis æquabile pœnis,
Nil grauius ſparſit rumor, nil fabula majus
Mentiri docuit, cedunt mendacia veris:
Troja annis obſeſſa decem, tunc denique capta eſt,
Et cinis eſt vbi Troja fuit: bis ipſa decennis,
Et bis Troja fui: nec vinci, aut vincere poſſum,
Nec poſſum captiua capi; ſuperata reſiſto,
Victores vinco, & rurſùm vincenda reſurgo:
Plus aliquid dico, cinerem victoria fecit,
Et viuo poſt fata cinis.
Heu quòd decreuit famoſæ gloria Cretæ!
Nobilis vrbs olim, nil ſum niſi triſtis imago,
Et veteris ſimulacrum vrbis: me fortia quondam
Mœnia cingebant, & propugnacula, & arces,
Valloque impoſitæ turres, Lunæque bicornes,


Infuſuſque

Infuſuſque maris ſinus, & circumfluus amnis:
Ille ſinus mihi portus erat; ſecura ſedebam
In portu Regina meo, centumque per vrbes
Iura dabam latè dominans; me regna colebant
Vicina, & Cretam Turcus, Caneamque timebat,
Et ſupereſſe in me Cyprumque, Rhodumque putabat.
Hæc odij ſeges, & iuratæ cauſa ruinæ,
Inuidia, & Romæ dudum ſperata corona;
Quæſituſque aditus Latio, ſi Creta pateret.
Biſdenis & me, & Caneam tentauit ab annis,
Et nunc capta ſoror totam in me projicit iram.
Suppoſitus puluis foſſæ intra viſcera terræ,
Et claudi impatiens ignis per aperta viarum
Erumpens, turres, & propugnacula, & arces
Disjecit, vacuaſque inuerſo pariete foſſas
Impleuit, latamque viam per mœnia fecit:
Turbatum pelagus flammarum incendia ſenſit,
Et timidas retraxit aquas: nec flamma, lueſque
Vallum intra muroſque ſtetit; tormenta, globique
Puluereis fœti flammis, per inane vibrati,
Pondereque innato ſubjecta in tecta ruentes
Exuſſere trabes domuum, calcemque petraſque,
Muroſque, & medio contentas pariete gazas,
Communique vrbem totam inuoluêre ruinâ:
Et nunc ſub caueis, vmbriſque, & hiantibus antris,
Plebs habitat, ciueſque mei: ſum terra, ciniſque,
Et ſi quid minus eſt cinere.
Fallor, adhuc viuo, & victrix poſt funera ſurgo
Fortior, & vires rediuiua ex morte reſumo;
Et cecidiſſe mihi prodeſt: vrbs Regia quondam
Priſcorum ſedes Regum, ſedeſque Deorum,
Vrbs noua ſum veteri melior: mea mœnia Turcus
Diruit, aggeſtis ſuppleui mœnia glebis:
Euertit turres hoſtis, caſtellaque, & arces,
Arx noua ſum, nullaque manu ſuperabile caſtrum:
Antiquæ periêre ædes, & tecta ſuperba,

Securæ

Securæ ſunt antra domus : nec tela timemus
Ardenteſque globos, & plumbo, & puluere fœtos.
Nil antris tormenta nocent : aſſueuimus igni,
Vibratoſque globos pueri, teneræque puellæ
Aſpiciunt, mollique fugant incendia flatu.
At grauius flammæque meæ, & tormenta timentur,
Et melius mea tela nocent; ſuffodimus antra,
Ductuſque, & plenos arcano puluere furnos
Clauſimus, & dum hoſtis muros inuadere tentat.
Tum verò erumpens accenſo puluere flamma
Inuoluit medios hoſtes, ambuſtaque membra
Diuidit, & vacuas ſpargit fragmenta per auras,
Et Turcus per inane volat : centena virorum
Millia, pars ſtricto ferri mucrone necata,
Pars flammis periêre meis, pars territa fugit,
Et fugerent omnes niſi ferrum, & vincla timerent,
Et vacuas acies orbis ſuppleret Eous :
Et tamen exhauſtus veterano milite Turcus,
Vix vltra quos mittat habet.
Ergo Chriſtiadæ obſeſſæ ſuccurrite Cretæ,
Auxilium germana peto, pietaſque, fideſque,
Et pro me Deus ipſe rogat : ſi jungitis arma
Vinci Turca poteſt, hoſtem ſola ipſa tot annis
Suſtineo, vires vno ſupplente Senatu :
Quid ſi Germanos, Italos, Francoſque, & Iberos
Aduentare ſciat; Pallebit Turcica Luna
Orbeque decreſcet toto; iam præuia fama
Aduentûs veſtri pallentes terruit hoſtes :
Vinceris ſolo aſpectu, & turbante timore
Diffugient, ſolâque cadent formidine Turci,
Et credent fatale mori.
Roſpiglioſe Parens orbis, Chriſtique, Petrique,
Et fidei, & Cathedræ nunquam mutabilis hæres,
Audiui lacrymaſque tuas, & publica vota,
Hæc fidei, mundique probant vtriuſque parentem,
Subque Deo penè eſſe Deum : Perge optime Paſtor,
Et

Et Cretæ miſerere tuæ, ſum filia Petri,
Dumque Oriens Romam fidei caput eſſe negabat,
Semper ego Romana fui, & nunc certa perire
Ne pereat Romana fides, imploro fidelis
Diuinam humanamque fidem, Pater optime perge
Hortari Reges, populoſque ad ſacra ciêre
Prælia, de Chriſto pugna eſt, mundique ſalute,
Et petitur Romana fides; ſum janua Romæ,
Et Romam meditatur Arabs, ſolemque cadentem
Captiuum tentat creſcenti ſubdere Lunæ.
At vinci, & captiua poteſt decreſcere Luna:
Occiduo mundus quondam ſeruiuit Eous,
Et victus ſeruire poteſt, ſi Candia vincat,
Et vincet ſi Roma iuuet, Romamque juuantem
Auxilians Europa juuet.



CLEMENTIS IX.

S. P.

PRO FELICI SVCCESSV AVXILIARIS EXERCITVS PRO

CANDIA

CONTRA TVRCAS CARMEN VOTIVVM.

I Claſſis dilecta Deo, ſacræ ite Triremes
Aſpirante Polo, placidiſque afflantibus auris,
Et nautas ſupplete Petro. Quam lætus, ouanſq;
Spectarem præſens aciem, amplexuque fouerem!
Cerno abſens, votiſque omnes, lacrymiſque ſaluto,
Et Petri meritis, & Chriſti nomine ſigno:
Ore Petri loquor, & quamuis virtutibus impar,
Sum magni tamen vmbra Petri.
O voces, tacitæque preces, & publica vota
Exaudita polo! redeunt felicia ſæcla
Cum Cruce ſignatus miles migrauit in orbem
Eoum, & Solymam, & Romanam fecit Idumen,

Et

Et Petrus mundo Paſtor communis vtrique,
Et fidei Petra vna fuit.
Audite Heroes quid mens præſaga futuri
Proſpiciat, nolim tamen hæc oracula credi,
Ex Cathedra non illa loquor; ſunt vota, preceſque;
Sæpe tamen Cœlum votis oracula miſcet,
Sæpe piæ ſunt fata preces.
Multa mihi euentus fauſtos, feliciaque arma
Promiſere diu: Mahometes ipſe ruinæ
Præuidit momenta ſuæ, falſuſque Prophetes
Vera ſibi, mentita aliis oracula dixit:
Creſcentem vidit ſeptem per ſæcula Lunam,
Poſt ſeptem ætates Lunam decreſcere vidit,
Et totam ſub Sole mori; ſatis impius error
Illuſit populis, & ne fraus dira patêret
Neſciri legem voluit, vetuitque magiſtros,
Et ferrum pro lege fuit.
Et ferrum, & flammas atrox doctrina meretur,
Quæ ferro & flammis orbem vaſtauit Eoum,
Poſtque homines læſos audax conſcendere Cœlum,
Ejurat Chriſtum eſſe Deum.
Altera ſpes Cretæ ſeruandæ, eſt Creta ſuperſtes
Ipſa ſibi, poſt tot miſeræ diſcrimina vitæ.
Poſt mortem, & tumulum,& cineres generoſa reſiſtit,
Et victa & victrix,captiua & libera, Creta,
Et Creta ex triſti rurſum rediuiua ſepulchro.
Quæ miſeram traxit per tot miracula vitam,
Nec debet, nec Creta poteſt miſeranda perire;
Nil ſemper miſerum eſſe poteſt: Deus aſpera lætis
Temperat, & naſci Phœnicem ex funere gaudet,
Et Phœnix Creta eſſe poteſt.
Veſtra erit Heroës rediuiuæ gloria Cretæ,
Fatales Turcis Francos oracula clamant
Antiqua,& veteres clades Raabæa timores
Excitat, & Franci, Germanique vmbra timetur,
Fatales animæ metuent obſiſtere fatis,

Et

Et fati fatum eſſe volent; vno enſe metetis
Turbam hominũ,& Turcus denſæ cadet inſtar ariſtæ:
Iam tremit,& nondum præſens iam vincitur hoſtis,
Iam pauidum meditatur iter, terraque, marique,
Et deſunt Elementa fugæ.
Ite ſacri Heroes, vaniſque illudite fatis,
Religio, & virtus, & gratia nobile fatum eſt,
Et fatum Romana fides: hæc ſacra ſuaſit
Prælia; de Chriſto pugna eſt, hominumque ſalute:
Victores vos cauſa facit: pars Creta querelæ eſt,
Pars Romæ & mundi Sceptrum,pars maxima Chriſtus.
Impius hunc vates fingit ſe vate minorem,
Seque Dei vult eſſe Deum: ſacræ ite Cohortes,
Et libertatem Cretæ; Romæque ſalutem,
Et Chriſto ſeruate Deum: falſuſque Prophetes
Deluſo fiat fatalis victima mundo,
Et fatum fatale ſuis.

QVERELA NOVI TESTAMENTI A IANSENISTIS MALE VERSI.

Carmen Apologeticum.

TEſtantis Scriptura Dei, ſupremaque verba,
Iuratumque nouo ſub fœdere Teſtamentum,
Iraſcor ſectæ audaci, nimiumque rebelli,

Quæ mea verba audet verbis miſcêre prophanis,
Et ſenſus mutare meos, & ſi impia poſſet
Penè ipſum mutare Deum. Me ſpiritus ille
Qui certa antiquis dictauit fata Prophetis,
Qui vera inſpirat, qui falli & fallere neſcit,
Ille amor, & guſtus Verbi, guſtuſque Parentis,
Ille meos ſenſus, & verba, & carmina ſcripſit,
Et ſcripta obſignauit Amor. Me nobile Verbum
Quo Pater æternus loquitur, quoque omnia dicit,
Me Verbum æternum dixit; repetitaque verba
Protulit humanæ latitans ſub imagine formæ.
Chriſtus homo, Chriſtuſque Deus: Nec ſyllaba libri,
Nec punctum eſt ſine voce Dei, Pater omnia dixit,
Dictauit Verbum, & Verbi manus omnia ſcripſit:
  Nec vilis ſermo meus eſt ſub ſimplice cultu,
Simplicitas Superis placet, & natiua venuſtas,
Et ſimplex eſt ipſe Deus. Procul aulica verba,
Formoſæque phraſes, non hæc pigmenta, coloreſque,
Et fucos quærit pietas; corrumperet aurum
Mendicata auri ſpecies, fallaxque figura,
Mentituſque color formæ, & de Rege metallo,
Efficeret mendax aurum, verumque orichalchum.
  Et pietas aurum eſt, nec amat fallacia verba,
Mentitaſque phraſes; Non eſt hæc verſio pura,
Nec libri doctrina mei. Dum Nobile Verbum
Humanam aſſumpſit carnem, non purpura veſtis,
Non aurum fuit, & poterat ſub Sole latêre,
Et puro veſtiri auro; Communia verba,
Et ſimplex ſermo fuit, & miracula fecit
Hic ſermo, & cœlo placuit, mundumque redemit.
  Hæc eſt prima meis illata iniuria verbis;
Mutatus vocum ſenſus, corruptaque verba.
Altera fraus variis mea verba erroribus implet,
Atque vt damnatæ Hæreſeos fallacia monſtra
Excuſet, Chriſto errores impingit, & ipſum
Hæreticum vult eſſe Deum; monſtra omnia damnat
Doctrinæ

Doctrinæ cenſura meæ ; nondum impius error
Arrij naſci Verbum de Patre negarat ,
Aut natum non eſſe minus : Nondum æmulus error
Neſtorij Chriſtum credens hominemque, Deumque,
Credebat ſine Matre ſatum ; Blaſphemia nondum
Eunomij Triadem nolens, nolebat Amorem
Eſſe Deum, ſoloque Patris de corde creabat ;
Hos ego damnaui errores ; turpiſque Lutherus,
Diraque Caluini ſoboles, Ranæque Geneuæ
Antidotis periêre meis ; Ego dogmata quinque
Doctrinæ figmenta nouæ, & fallentia verba
Damnaui, & ſedes Petri, ſolioque ſedentes
Damnarunt mecum errores, cenſuraque Romæ
Ex verbis eſt ſumpta meis ; nec fallere Roma,
Nec ſedes errare poteſt, quam Petra tuetur,
Et Petræ eſt tutela Deus.
Hæc libri eſt doctrina mei, corrumpere librum
Tentauit Secta & ſenſus , & verba Geneuæ
Admiſcere meis verbis, Romæque minantem
Cenſuram, Cathedræque iras, & fulmina ridet ,
Iratumque Deum.
LVDOVICE cliens Romæ, Romæque clietis,
Et fidei Tutor, contemptam vlciſcere Romam ;
Viciſti, & pacem victor toto orbe dediſti,
Vince Deo, veramque fidem, FORMAMQVE tuêre,
Teſtantiſque Dei viua, & morientia verba,
Teſtamenti hæres primus tua protege iura,
Et tabulas defende meas, idem hoſtis vtrumque,
Teſtantem, hæredemque petit.

DOMINI

DOMINI
PASCHALIS
PROVINCIALIVM
Epiſtolarum Scriptoris Teſtamentum Catholicum.

Proſa Parænetica.

PROXIMVS æternitati, & penè extra tempus,
Moribundus, & penè iam mortuus,
Vera loquor eo momento quo nemo mentitur.
Dum vixi tradidi me Ianſeniſtis, & penè vendidi.
Emit calamum meum Portus Regius pluris quam petij.
Placuit Stylus,indolis aliquid habens,& aliquid artis,
Impleui Galliam Prouincialibus Epiſtolis, & penè ſatyris.
Scripſi jocoſa, dum Ieſuitæ ſcribebant ſeria,
Sæpe victus, ſæpè victor,
Dum vincere armis non potui, riſu vici.
Satis iocorum eſt homini moribundo.
Ejuro moriturus quæ ſcripſi viuus,
Et veritatem teſtor, quam æternus teſtabor.

Legi apud Ianſenium quinque hæreſes quas Roma damnauit,
Legit mecum Portus, & legiſſe pœnituit,
Mutauit ſenſum dum mutare verba non potuit,
Diſtinxit quæſtionem iuris & facti, & dolus diſplicuit,
Diſtingui factum non debet, quod ex iure naſcitur,
Nec negari poteſt fides, quæ oculis legitur.
Eiuro fidem Portus Regij, & fidem Ianſenij,
Iuro fidem Petri & Romani Pontificis,
Et credo verum eſſe quidquid Roma definit;
Eiuro lacrymans quidquid in Epiſtolis riſi,
Et lachrymis addo ſanguinem, & mortem ſanguini.
Reſtituo Ieſuitis famam quam læſi,
Declaro innocentes eſſe, & me reum.
Quidquid objeci, aut ira eſt Ianſenij, aut furor Aurelij.
Hæc eſt profeſſio fidei meæ, publica, & æterna.
Fefellit me Portus Regius, fallo Portum Regium.
Appellaui fidei Portum, nunc appello naufragium.

PASCHALIS moribundus Aruernus.



EPITA

EPITAPHIVM NOVÆ DOCTRINÆ.

Lege viator, & fuge.

HIC jacet noua Doctrina,
Idcirco falſa, quia de Deo noua;
Deus ipſe eſſet falſus
Si poſſet eſſe nouus.
De natura pura minus ſanè,
De natura ſana minus purè,
De lapſa minus rectè ſenſit.
Poſt calumnias Naturæ, non pepercit Gratiæ;
Vt neget Gratiam ſufficientem, fingit inutilem;
Vt deſtruat efficacem, facit crudelem;
Vt euertat liberum arbitrium, facit captiuum;
Vt corrumpat bona opera, corrumpit merita;
Vt excuſet peccatum, facit neceſſarium;
Vt reddat Chriſtum odioſum,
Negat pro omnibus mortuum.

Abi viator,

Et ſi amas Auguſtinum, fuge Ianſenium.

EPIGRAMMATA
SYMBOLICA.

I.

Rex æquales non patitur.

Sol paralia pingens & delens.

Quos pinxit delere poteſt.

EPIGRAMMA.

QVos pinxit delere poteſt, hæc Regia laus eſt,
Poſſe ſibi ſimiles pingere, nolle pares.

II.

Reges ſunt mortales.

Lilium moriens.

Impediunt nec Regna mori.

EPIG.

SVppoſitum calcat moriens flos Regius orbem.
Nec Regem impediunt ſubdita regna mori.
Nec te orbis, nec te ſceptrum Rex magne iuuabit,
Ipſe etiam morti ſubditus orbis erit.

III.

Miniſter Regius abiens ab aula,
Et aulam regens.

Stella cadens.

Dum radiat cecidiſſe putant.

EPIG.

DVm radiat cecidiſſe putant, ſcintillat imago
Syderis, & ſydus creditur vmbra cadens.

Tu quoque fulgebas dum te cecidiſſe putabant,
Interea ſi quid decidit vmbra fuit.

IV.

Miniſter Regius ſecreti tenax.
Nilus.
Neſcitur origo.

EPIG.

SPectatur curſus fluuij, & neſcitur origo;
Naſcitur, & nondum patria prima patet;
Et tu parte tui non vis meliore videri,
Magna licet pateant, nobiliora tegis.

V.

Miniſter Politicus
Ab vrbe ſecedens, & rediens.
Fontes Pariſienſes.
Quod bibimus de rure venit.

EPIG.

QVod bibimus de rure venit, poſtquam alluit vrbẽ
Mobilis ad patrios vnda recurrit agros.
Tu quoque poſt Aulam & Fiſcum, & myſteria Regni
Vnde nouus redeas, ad noua rura redis.

VI.

Legatus Regius
Circinus.
Centro pes alter adhæret.

EPIG.

PEs alter graditur, centro pes alter adhæret,
Ni foret immotus non numeraret iter.

Tu quoque terrarum fines, & regna pererras.
Sed centrum, & ſemper circulus aula fuit.

VII.

Ianſenius Auguſtinum corrumpit.

Echo.

Reddens non integra verba.

EPIG.

FAllitur, & fallit reddens non integra verba
Echo reflexi ſaucia imago ſoni.
Paſtor Ypræ ſenſum lædens, & verba Magiſtri,
Echo eſt, hæc læſos, reddit & iſte ſonos.

VIII.

De eodem

Aquila degenerem prolem rejiciens.

Hæredem negat eſſe ſuum.

EPIG.

HÆredem negat eſſe ſuum qui lumina Solis,
Fixo oculo, & firmo non bibit ore diem.
Magni Auguſtini non eſt Ianſenius hæres,
Romanum fixo non tulit ore diem.

IX.

De eodem.

Annulus Gygis.

Nemo ſatis ſub luce latet.

EPIG.

NEmo ſatis ſub luce latet, gemmam objice ſoli,
Qui vult eſſe Gigas cernitur eſſe Gyges.
Paſtor Ypræ magno fruſtra ſe nomine celat,
Tolle Auguſtinum, noctua non aquila eſt.

Mappa

X.

Mappa ſacra Viennenſis.

Anagramma.

Euchariſtiæ Sacramentum.

Chara Ceres mutata in Ieſum.

EPIG.

CHaram hac in mappa Cererem mutauit Ieſus,
Non eſt hæc Cereris, ſed ſacra mappa Dei.
Panis erat diuina Ceres, poſt enthea verba
Incipit eſſe Deus, deſinit eſſe Dea.

X I.

Luparæ Regiæ.

INSCRIPTIO.

INterrupta diu nunc eſt domus integra, fallor,
Vrbem feciſti, non Lodoice domum,

XII.

EPIGRAPHE ALTERA.

ORbe minor non eſt æqualis Regibus ædes,
Æqualis fiet cum domus orbis erit.

XIII.

Regia imaginis Epigraphe.

MAior Auis, Reges vnus complectitur omnes,
Pinge omnes, vnus tunc Lodoicus erit.

XIV.

EPIGRAPHE ALTERA.

PEne artem ſuperat, nec Regem exæquat imago,
Vita deeſt, adde hanc, & Lodoicus erit.

VIENNA SVBTERRANEA.

ELOGIVM.

Sta Spectator, & vide quid non videas.

VIDES Viennam, nec Viennam vides,
Latet vrbs vna ſub altera,
Et maior eſt Vienna ſepulta quam viua.
Calcas vrbem dum incedis per vrbem;
Iacent ſub pedibus tuis arma, & trophæa,
Et tu dum ambulas, de trophæis triumphas.
Suſpende tamen greſſum, & mollius ambula,
Iacent hîc Equites Romani, hîc Senatores, hîc Conſules,
Caue ne lædas mortuos, quos timeres viuos.
Audi aliquid maius:
Iacent ſub hoc colle Deorum Templa, & Dij ipſi,
Iacet ſub hoc ceſpite Mars, ſub illo Iupiter, ſub illo Pallas,
Time haſtam Martis & Palladis, & fulmen Iouis.
Imo ride Deos, qui nunquam fuêre Dij,
Deus non eſt qui eſſe deſinit,
Et qui ad nihilum rediêre, fuêre nihil.
Aſpice hortos Viennenſes, ſunt omnes penſiles:
Babylonios ars extruebat, iſtos ruina,

Creſcunt

Creſcunt ex caſu arcium, & ruina templorum,
Imò creſcunt ex Diis ipſis
Olim allia fuêre Dij, nunc Dij ſunt allia.
Vides has vineas, jacet ſepultus ſub illis Bacchus,
Creſcunt racemi ex cineribus Dei ſui,
Et qui olim vina bibebat, nunc ipſe bibitur.
Et Ceres quoque ſuppoſita eſt his ſegetibus,
Et quæ olim frumenta ſerebat, nunc ipſa ſeritur.
Aſpice tot vrnas olim plenas, nunc vacuas,
Impleuit hanc Eques opibus, hanc Senator, hanc Conſul,
Timuerunt poſt mortem paupertatem,
Nec ſciuerunt omnem cinerem eſſe pauperem.
Vides hæc numiſmata aurea, hæc argentea,
Impreſſus illi Senator, huic Conſul, huic Cæſar,
Victuros ſe putarunt dum Imago viueret,
Viuit Imago, & Prototypus periit.
Eruuntur hodieque ex Vienna Subterranea nouæ opes,
Ditior eſt Vienna ſepulta quàm viua.
Et ſi extarent ſimul omnes opes ſepultæ, Viennam emerent.
Aſpice Aquæductus olim integros, nunc interruptos.
Victores terrarum Romani, vt aquas vincerent, fecere captiuas,
Includebant pretioſo carcere vt captiuitatem amarent,
Deducebãt per arcus triũphales, vt captiuæ triũpharẽt,
At amantes libertatis aquæ ruperunt carcerem, etiam pretioſum,
Et malunt per humum ſerpere, quam per aërem triumphare,
Deſcende, & Viennam inferiorem vide, nec vide,
Hæc ampla planities olim vrbs erat, nunc vrbis cadauer eſt,
Hæc Pyramis olim centrum Viennæ, nunc extra circulum eſt.

Creſcebant homines vbi nunc ſegetes creſcunt,
Et plures tunc ciues erant quam hodie ſpicæ.
Aſpice vltra Rhodanum alteram Viennam, & vnam.
Olim illic aquila fuit, vbi nunc columba eſt;
Fuiſſe illic vrbem probant rudera vrbis,
Ibi olim Vienna ſtetit, vbi cecidit.
Hic Fluuius olim vrbem vnam diuidebat in duas,
Et quod Tyberinus eſt Romæ,hoc Viennæ Rhodanus erat.
Olim Vienna duplex Prouincia,
Olim duplex Prouincia Vienna erat,
Olim Vienna Romæ ſimilis, & Romæ Vienna ſimilis fuit.
Vtramque diuidebat fluuius, vtramque jungebat,
Vtraque totidem montes habuit, totidem arces.
Periit quod ſtabile erat, quod fluit non periit.
Ex iis agnoſce Viennæ potentiam,
Timuit Viennam Annibal, Annibalem Vienna non timuit,
Poterant tranſitum prohibere duo fratres, niſi de regno certaſſent;
Adjuuit Brancum Annibal, Brancus Annibalem,
Deduxit ad Alpes Alpium Dominus,
Vicit Italiam Annibal, fecit Vienna victorem.
Fefellêre Viennam Allobroges, non vicêre,
Vt facerent Reginam Allobrogum,fecêre captiuam.
Exul Vienna Lugdunum cum Planco condidit,
Et primi ciues Lugduni fuêre Viennenſes.
Ex eo collige antiquitatem Viennæ.
Fuit Vienna cum Lugdunum non fuit,
Anteceſſit Romulum & Romam, & matrem lupam,
Inuenerunt Viennam Allobroges, non fundarunt.

Ne

Ne quære ortum Viennæ, Antiquiſſima vix habent
originem,
Prima laus antiquitatis eſt carere principiis,
Altera laus habere principia, ſed neſcire.
Scit Vienna ſe incepiſſe, neſcit quando inceperit,
Nec debet ortum ſui Venerio exuli, nec mulieri,
Neſcit initium ſui, ignorat exitum,
Id vnum ſcit ſe non futuram, cum nulla vrbs erit.
Abi ſpectator, dixi quid ex Vienna non videris,
Dicam cum redibis quid videre poſſis.

PROSOPOPOEIA HOLLANDIÆ BELLVM METVENTIS.

INFELIX, necdum infelix, ſortem inter
vtramque
Fortunam deploro meam: timeo omnia
circum,
Et metuo ne ſat metuam: me Gallia terret
Nondum hoſtis, nec amica ſatis; ſæpè ipſa rogaui
Quid nocui? nocuiſſe negat, voluiſſe nocere
Non negat; hæc animum tacita accuſatio turbat,
Et timeo peccaſſe nocens: ſi ſum rea parce
Gallia; ſi renuis, dic quale Hollandia crimen
Admiſi, pœnam admitto, ſed poſtulo cauſam;
Euolui arcanos animi, cordiſque receſſus,
Et volui penè eſſe nocens, vt parcere poſſes,
Nulla, leuis licet, agnoui veſtigia culpæ,

Forte tamen mea culpa fuit voluiſſe videri
Regibus æqualem, & nullo Rege eſſe minorem.
Olim parua fui, fateor, nunc æmula creui;
Auxit opes ætas, auxerunt æmula regna,
Dum neutrum vult eſſe minus; ſi ſubdita quondam,
Excuſſi ſeruile jugum; ſocia obtulit arma
Gallia, pugnantem adjuvit, juvi ipſa iuvantem,
Illa fuit per me victix; ego libera manſi.
Agnovi deinceps ſocios ad prælia Reges,
Neſciui dominos, volui par Regibus eſſe,
Et Reges volui eſſe pares, librata poteſtas
Profuit: interea longinqua per æquora Ponti,
Fineſque extremos velis, remiſque cucurri;
Et vacuos portus, vrbeſque & mœnia cepi,
Et mundi gazas vtriuſque ad littora vexi,
Et noſtro diuiſi orbi, ſolemque cadentem
Oſtendi Sinis, Sinaſque cadentibus aſtris.
Quid nocui Europæ? locupletem ex paupere feci,
Et gemini docui commercia jungere mundi.
Gallia quid nocui? quòd nuper vincere ſub Te
Nolui, & inuitæ pacemque ac fœdera ſuaſi?
Perſuaſi, fateor, timui ne Gallia victrix
Aut nimium vicina mihi, aut vicinior eſſem;
Æqualem mundum volui, Regeſque bilibres,
Nec me maiorem volui, nec me eſſe minorem:
Hoc ſi peccatum eſt, peccarunt omnia regna,
Nullum alio vult eſſe minus.
Vnum aliud timui, ne velles æquora mecum
Partiri, & merces, & Eoi æraria mundi:
Tunc ego non Princeps pelagi, non regia Thetis,
Sed famula, aut humilis fierem ſub Principe Nympha
Parce tamen, vinci timeo, ſi Gallia pugnas,
Armatas acies video, & pendentia bella,
Deſeror, & maius vincit mea fœdera fœdus.

Parce

Parce iterum, nolo pugnare æqualibus armis,
Maiorem agnoſco Regem, & victricia adoro
Lilia, & auguſtis ſubmitto carbaſa velis.

PROTREPTICVM
AD PRINCIPES EVROPÆ.

EVROPÆ Proceres Hoſtis communis ad arma,
Nos omnes & ad arma vocat: gens portio mundi
Exigua, & modicæ terræ circumdata zonâ,
Quam vacuæ centum naues radicibus imis
Auulſam, externas poſſent traducere in oras,
Aut merſare mari pretioſam piſcibus eſcam.
Hæc gens Myrmidonum vili de ſemine nata,
Irritare audet vicinos æmula Reges,
Atque ipſum violare Deum: gentilis adorat
Antiquos, iuueneſque Deos, Venereſque, Ioueſque
Et Deus eſt quodcumque placet: peccauimus omnes,
Dum naſci infidam gentem permiſimus olim,
Et natam augeri noſtris & creſcere damnis,
Aut non debuerat naſci damnoſa propago,
Aut prima cum luce mori.
Gallia Peccaui, ſine me gens proxima cladi,
Nunc ingrata mihi. Dominis ſeruiret Iberis
Et populi audaces hodie, dominiſque rebelles,
Myrmidones, Dolopeſque eſſent.
Tu quoque peccaſti dum vilem Hiſpania gentem,
Et caput attollentem hydram, linguiſque micantem,
Non ambuſſiſti naſcentem vindice flamma,
Aut oppreſſiſti fatalis verbere clauæ,

Hydra

Hydra hodie, non hydra eſſet.
  Anglia cur Nautas ad remum, & retia natos,
Partiri tecum pelagus permittis vtrumque,
Et Dominas Naues, & velis æmula vela,
Et ſigna, & titulos hodie præferre magiſtros,
Vexillum tunc Remus erat.
  Luſitane olim ganges, & nobilis Indus,
Centum vrbes,& centum Arces,portuſque, plagæque,
Et ſocij Reges, & vectigalia regna,
Arma tua, & dominas naues, & ſigna colebant,
Nunc prædo Hollandus Malacam,& proxima regna
Inuaſit, tecumque plagas partitur eoas,
Nunc Dominus, vix ante cliens.
  Et vos ſtellarum Reges, ſeptemque Trionum,
Communem populorum hoſtem, Regumque cauete,
Ille mare, & fluuios veſtros, portuſque, ſinuſque
Mercari quondam ſperat,veſtroſque Triones,
Et veſtrum ſuperare Polum.
  Electi Imperij Comites, Aquilæque Miniſtri,
Et vos, & patrios apices, aquilæque bicollis
Imperium duplex Hollandus Nauita ridet,
Et labaris Audax Aquilas appingit eoas,
Et Dominas ſibi ſubdit aues.
  Ergo agite Europæ Proceres, defendite probrum,
Imperij, & Regum cauſas, & publica iura,
Et læſi iura alta Dei, & ludibria Chriſti.
Hollandus prædo, populorum publicus hoſtis
Reſtituat Dominis priuata & publica damna,
Olim nauta fuit, funeſque & vela tetendit,
Qualis erat quondam, famulus nunc Nauita fiat.
  Ac velut externis opibus, plumíſque ſuperba
Garrula auis cornix plumas deponere iuſſa,
Ablatas auibus,deplumem oſtendere carnem
Deformis metuens, latebris ſe damnat opacis,
Et ſolem, ſeque ipſa fugit; ſic nudus, inopſque
Extremos fugiat trepidans Hollandus ad Indos,

Et

Et qualis fuerat, fiat de principe Nauta.
Gallia præcedo, quamque olim penè cadentem
Suſtinui ingratam gentem, nunc vindice ferro
Impello ad caſum, meritaque inuoluo ruina,
Regum vltrix, vindexque Dei.

PARS QVINTA.

SOLITVDO.

DIVO BRVNONI Venerabilis Carthuſienſium Ordinis Fundatori Sanctiſſimo, & ſolitariæ vitæ exemplari Illuſtriſſimo.

ELOGIVM.

QVALEM te appellem magne BRVNO,
Veterem Eliam, an nouum Stylitam?
Hoſpitem mundi, an ciuem cœli?
Terreſtrem Angelum, an cœleſtem virum?
Angelus eſſes, ſi careres carne,
Nec tamen caro penè verſa in ſpiritum,


Excludit honorem Angeli, nec Angelum.
Hic vir pertæſus mundi, & cupidus cæli;
Quæſiuit ſedem extra mundum, & inuênit;
Carthuſia illi ſedes penè ſupra mundum fuit
Si quæris ſeceſſus cauſam, mundum timuit,
Terruit hominem vmbra ſe accuſans, & damnans,
Ab ea vmbra timere mundi vmbras didicit:
Intra Carthuſiam tutus ab vmbris fuit.
Sed quam te appellem Carthuſia ſacra?
An montem Oreb in quo Deus videtur?
An montem Sina in quo auditur?
An confinium Cœli, & penè ſuburbium?
Vt ſcias Cœli inſtar eſſe
Eò ire ſeptem ſtellas Hugo Epiſcopus vidit,
Ducebat eas Bruno, & erat Phoſphorus:
Tot iuere deinceps vt Cœlum effecerint.
Audi quid illic agatur, & cœlum eſſe credes,
Silentium, pſalterium, ieiunium
Efficiunt penſum diei, & penſum noctis.
Silentium illic linguarum eſt, & quies aurium;
Nemo illic loquitur niſi ſibi,
Nemo alium audit, niſi ſeipſum;
Nulla Echo verba repetit, quæ nemo dicit;
Alloquuntur tamen Deum homines taciturni,
Sed hoc alloquium Dei eſt, & hominum ſilentium.
Media hominum vita eſt pſalterium,
Nec triſtibus eſſe licet, qui ſemper canunt;
Prælibant immortalitatem ante mortem,
Viuunt vitam olim futuram,
Id agere incipiunt quod ſunt ſemper acturi,
Et viſuri olim Deum penè iam vident.
Aſſueti cœli deliciis cibo vix egent,
Apodum inſtar deuolant ad eſcam, & reuolant,
Oderunt carnem ex voto, ne amare poſſint.
Agebat hanc vitam Bruno ignotus omnibus,
Vidit eum Vrbanus ſecundus dum oculos fugit,

Euocatum

Euocatum Romam penè præfecit ſibi:
Ex Magiſtro orbis Brunonis diſcipulus,
Regebat orbem vterque, & Rector erat vnus,
Et poterat poſt Vrbanum ſecundum eſſe tertius.
Fugit vmbras Romæ qui fugerat vmbras Lutetiæ,
Et ne vna Carthuſia eſſet, condidit alteram,
Amauit tamen primam cui cæteras ſubdidit.

Obiit anno D. 1100.ætat...

Nec dubium eſt quin eò iuerit, quò ſtellæ eunt,
Hugo Antiſtes vidit ſtellam eſſe dum viueret.
Ne quære miracula, edidit viuus, & mortuus,
Ipſe tamen Bruno primum miraculum eſt,
Totum inſtitutum Brunonis miraculum alterum,
Idem Ordo non mutatus, miraculum perpetuum.



REVERENDISSIMO
PATRI P.
IOANNI PEGON,
MAIORIS CARTHVSIÆ
Priori, & totius Ordinis Carthuſienſis Moderatori Generali.

ELOGIVM.

INVENI artem laudandi te etiam nolentem,
Generalis ſapientiſſime,
Prohibere laudes tuas potes, nõ potes patrias;
Laudaui te in magno Brunone, & Brunonẽ laudo in te:
Succedis magno Parenti hæres non degener,
Viuit in te totus Bruno ſuperſtes,
Repræſentas rediuiuum, & apparet in te,
Regit tecum magnum Ordinem, & tu cum illo;
Commune eſt vtriuſque imperium, & exemplum.
Inde ille amor omnium erga te, & tuus erga omnes;
Scilicet amantur in te Brunonis virtutes,
Amantur in illo tuæ:
Quod ille vixit hoc viuis,
Quod inſtituit hoc ſapis.
Diſtinguitur ætas veſtra, non vita,

Quod

Quod ille dixit, hoc dicis,
Quod egit, hoc exequeris,
Creditur audiri dum loqueris,
Imperare dum præcipis,
Imperat amor vtriuſque non timor,
Atque hæc eſt ars regendi optima,
Imperare amore magis quam ore,
Et exemplo magis quam verbo.
Mirantur iuuenes id fieri à te ſene quod à iuuene,
Quod prodigio ſimile eſt, vidiſti octoginta annos,
Et illi viderunt te,
Atque in aliis octoginta anni ſenes,
In te octoginta anni ſunt iuuenes.
Viue, meritiſſime Generalis, vltra vitam,
Ego popularis, & affinis, & penè æquæuus
Opto annis tuis longæuos annos,
Et poſt tempus æternos.

INSCRIPTIONES SOLITARIÆ DOMVS.

Propylæum.

ITE curæ, hæc vacua ſolitudo eſt,
Nemo hîc habitat niſi ſolus,
Et vos non eſtis ſolæ.

Aula.

Hæc aula, & vacua ſemper,
Et plena ſemper eſt;
Implet eam ſolitarius animus,

Et

Et multitudinem facit, etiam dum eſt ſolus.

Caminus.

Facimus viam igni, vt in patriam tendat,
Et nobis hic mundus hoſpitium eſt, alibi patria,
Sequamur eam viam quam flammis facimus.

Sacellum.

Docet ſolitudinis pretium Deus,
Vbique ſolus eſt, quia vbique eſt vnus,
Nec Trinitas impedit ſolitudinem,
Quia non excludit vnitatem.

Muſæum.

Hic licet hoſpitem ſui eſſe,
Hic animus apud ſe habitat domeſticus ſui,
Alibi abeſt à ſe, vix præſens ſibi,

Bibliotheca.

Hic viuunt homines ſuperſtites ſibi,
Hic loquuntur, & tacent,
Hic audiuntur & ſilent,
Hic interrogantur, & muti reſpondent.

Hortus.

Imaginem vitæ cernis, dum hortum aſpicis,
Flores & homines
Pari naſcuntur, & intereunt modo,
Id vnum intereſt, plantæ florent,
Sæpe homini florere non licet.

Ambulacrum.

Magnum hæc vita lycæum eſt,
Omnes peripatetici ſumus.

Fontes.

Amant ſolitudinem fontes,
Quia illic innocentes fluunt,
Deriuantur ad vrbes inuiti,
Quia illic nocentes fiunt,
Inquinantur ſceleribus, dum ſcelera abluunt.
Extra vrbem nymphæ
Sæpe intra vrbem ſunt veneres.

Lucus,

Lucus.

Pulchrum eſt cum arboribus loqui,
Reſpondent ſyluæ quod neſciunt,
Canunt aues quod non intelligunt,
Loquitur nemo, & multorum colloquium eſt.

Antrum.

Fecit hic natura quod ars non faceret,
Fulcit mons ruinam quam deberet opprimere,
Rimas claudit aqua, quas alibi faceret,
Deſtrueret ars opera ſua, ſi ſic extrueret.

Echo.

Adeo ſolitaria eſt echo, vt nonniſi in ſpeluncis degat,
Adeo pudica vt nullum aſpiciat, à nullo viſa,
Adeo modeſta, vt nunquam audeat loqui prima,
Adeo erudita vt omnes linguas intelligat,
Didicit quidquid ſemel audiuit,
Toties parata reſpondere,
Quoties paratus es dicere.

Index horarius.

Illuſtria ſolitudinis ſymbola ſunt ſol & luna,
Neque hic eſſet ſol, niſi eſſet ſolus,
Neque hæc eſſet Luna, niſi eſſet vna.

Hora.

Adeo ſolitariæ ſunt horæ, vt nulla fluat niſi ſola,
Adeo amicæ, vt nulla alteri inuideat,
Adeo fideles vt nulla alteri noceat,
Adeo æquales vt nulla currat, nulla ſiſtat,
Omnis pars horæ habet aliquid prius,
Omnis aliquid poſterius,
Fluxit pars horæ dum aſpicis,
Tu quoque dum aſpexiſti, fluxiſti.

Pauo.

Oſtentat honores ſuos Pauo dum alas explicat,
Penè exhibet cœlum dum ſe euoluit in gyrum,
Mox rotam contrahit dum pedes aſpicit,
Hæc illi ſolitudinis cauſa eſt, pudor ſui,

Solem fugit quem geſtat in cauda.

Proſpectus ſublimis.

Hîc extra mundum habito ciuis mundi,
Hîc auſpicor æternitatem intra tempus,
Hîc viuo Deo iudice & me teſte:
Ille ſatis publicus eſt quem Deus videt.

SOLITVDINES VIRORVM ILLVSTRIVM.

Tuſculanum Ciceronis.

DIdicit in ſolitudine Tullius quod è Roſtris dixit.
Et prius Orator Tuſculanus fuit quàm Romanus.

Caſſinanum Varronis.

Varronem Romanorum doctiſſimum effecit ſolitudo,
Didicit è re ruſtica quod de politica ſcripſit.

Albanum Senecæ.

Dictauit epiſtolas Senecæ ſolitudo,
Beneficium ſolitudinis eſt, quod de beneficiis ſcripſit.

Hypogæum Demoſthenis.

Ad murmur Torrẽtis Demoſthenes pronũtiare didicit,
Quod torrens eloquentiæ fuerit, debet torrenti.

Miſinanum Pliniĳ ſenioris.

Huic ſe in ſolitudine oſtenderat penè omnis natura,
Periit dum flammas explorat, quas natura celauit.

Lauretanum Pliniĳ iunioris.

Orator, Conſul, Proconſul,
Maior in ſolitudine fuit quàm in vrbe.

Aqua

Aqua Lepida M. Lepidi.

Partitus orbem cum Triumuiris Lepidus,
In orbe tertius erat, in ſolitudine primus.

Rauennanum Caſſiodori.

Hic poſt miniſterium Regis, & Regni
In ſolitudine erat Imperator ſui.

Tumulus Virgilij.

In hoc Tumulo Silius hauſit ſpiritum Virgilij,
Solitudo tumulus eſt, & poëtas facit.

Vaucluſium Petrarchæ.

Claudit theſauros fontium vallis clauſa,
Dum apud ſe Petrarcham habuit, Oceanum clauſit.

Ticinanum Alciati.

Alciatus in ſolitudine emblemata ſcripſit,
Ipſe ſolitudinis doctum emblema fuit.

Villa Cujacij.

Cujacius in ſolitudine de legibus ſcripſit,
Hodie doctrina ſolitudinis eſt ſcientia fori.

Anicianum Boëtij.

Boëtium in ſolitudine conſolatur Philoſophia,
Ipſe in ſolitudine Philoſophiam conſolatur.

Maguſanum Poli Cardinalis.

Polus in ſolitudine Angliæ cardo,
Stetit immotus dum Anglia cecidit.

Voraum Boëſſij Saluagnij.

Quod Orator, quod Poëta debet ſolitudini,
In vrbe Rationum, in ſolitudine Præſes Muſarum eſt.

VITÆ

VITÆ SOLITARIÆ SYMBOLA.

I.

Malum granatum.

Nobiliora latent.

QVot grana oſtentant, tot monſtrant punica poma
Sydera, grana intus nobiliora latent.

I I.

Fons Arethuſæ ſubterraneus & publicus.

Parte ſui meliore latet.

PArte ſui gaudet meliore Arethuſa latêre,
Obuia negligitur, quæ latet vnda placet.

I I I.

Margaritæ concha incluſæ

Gaudent pretioſa latere.

VIlia quæque patent, gaudent pretioſa latêre,
Quæ gemma eſt, floccus ni latuiſſet erat.

I V.

Bombix.

DVm latet incluſus net ſerica vellera bombix,
Poſt latebras vermis, papilioque volat.

ILLVSTRISSIMO D.
D. A. DE SER.
MINISTRO POLITICO
VITA PRIVATA, ET PVBLICA.

ILLVSTRE viuendi genus priuatum & publicum, vacuum & negotioſum, ſolitarium & aulicum, VIR ILLVSTRISSIME. Vixerunt hanc vitam Politici antiqui, & tu illam viuis; partiris te aulæ & ſolitudini, diuidis te vrbi & ruri, viuis duplicem vitam, & vnam efficis.

Capacis ingenij neceſſe eſt te eſſe quem totum aula non capit, quem totum negotia non occupant, & quo minores ſunt omnes curæ: ſcilicet ſubdis tibi negotia, non te illis; dominus es tui, non ſeruus: commodas te rebus, non donas: tradis te illis & retrahis; partiris ingenium tuum, & dum pars tui magnis in rebus laborat, altera pars vacua eſt, & ſolitaria.

Fallor, nec vna pars tui vacua eſt, nec tu ſolitarius es, etiam dum es ſolus, trahis tecum quocunque pergis totam politicæ rei doctrinam; ſequuntur te magnæ virtutes, & ſcientiæ, latere non potes quem omnia faciunt publicum.

Non ſatis dixi, inuenis aulam extra aulam, intueris regna in ſymbolis, & percurris mundũ dum percurris

hortum: Vides in roſa Angliam, in tulipa Hiſpaniam, in imperiali Germaniam,in lilio Galliã, & quod lilium eſt floribus hoc vides Regem tuum eſſe Regibus.

Ex horto progreſſus in porticum, metiris in mundi mappa interualla regionum,examinas antiqua iura regnorum,& noua; reuiſis Prouincias quas olim Legatus obiiſti,& nouo legationis genere percurris orbem terrarum, & immotus manes.

Neque adhuc ſatis dixi;eruditi ingenij eſt ſcire præterita, prudentis intueri præſentia, ſapientis meditari futura; hoc ſtudium tuum eſt vacare futuris,& ſpeculari facienda non facta;vis vt reuoluam aliquid ex iis quæ animo voluis,hac arte,inquis,terreri poteſt Aquila ne ad Alpes volet; hac arte impediri Leo ſi cum Leopardo pugnet, hac arte iniri pax ſtabilis, ſi nemo vinci poſſit; hac arte ditari fiſcus, ſi diues ſit populus; hac arte victrix eſſe poteſt Gallia, ſi ſeipſam non vincat.

Plenus his meditationibus publicis, & redux in aulã, rogaris ſententiam, & effata dicis; reſpondes de legibus imperij quaſi interpres,de factionibus Italicis quaſi ſequeſter, de myſteriis Hiſpanicis quaſi myſtes: loqueris de rebus futuris quaſi de præſentibus, de faciendis quaſi iam factis; de negotiis externis quaſi de Gallicis: nec dicis tantum res ipſas ſed cauſas rerum, & initia, & fines, & curſum, & exitum; nihil à te quæritur quod non præuideris, nihil objicitur quod iam non ſolueris.

Ex aula redis in hortum, nec Regem deſeris dum ad lilia redis ex liliis; ſic miſces priuatam vitam & publicam; ſic viuis aliis & tibi; nec illuſtrior vita eſſe poteſt quàm quæ omnibus eſt vtilis. Vixere hanc vitam Scipiones & Lælij, Cicerones & Attici,& tu hanc viuis inter imagines virorum illuſtrium, ſolitarius & aulicus, priuatus & publicus.

ILLVSTRISS. DOMINO D.

IACOBO MOYRON,

BARONI DE S. TRIVIER,

EX-PRÆTORI LVGDVNENSI,

& Supremi Conſilij Regij Conſiliario,

Domus duorum Amantium

Domino.

ELOGIVM.

FRVSTRA ſolitudinem & latebras quæris, (VIR ILLVSTRISSIME) nec latêre potes, nec eſſe ſolus, quia publicum oraculum es : trahis tecum quocunque pergis totam vtriuſque iuris doctrinam, ſequuntur te omnes ſcientiæ & virtutes, priuato tibi eſſe non licet, quem tot ornamenta faciunt publicum ; nec duo Amantes totum te poſſidere poſſunt, qui amor es omnium, nec vllus locus eſt capax tui niſi ſit publicus ; fruſtra igitur vrbem fugis, qui vrbem facis vbicunque es : ex quo ſeceſſiſti in ſuburbium Lugdunenſe, aut ſuburbium intra vrbem, aut magna pars vrbis intra ſuburbium eſt.

Nec te Lugdunum tantum, ſed aula ipſa quærit etiam latentem; amaris vbi es, æſtimaris vbi non es; audiuit Rex qualis eſſes, & dignum putauit quem adhi-

beret omnibus Conſiliis Regiis , nec capacior adhiberi potuit Conſiliis priuatis , nec ſincerior politicis, nec innocentior ærariis ; nullum eſt Conſilium cuius non merearis eſſe arbiter , nullum miniſterium cuius non poſſis eſſe Magiſter ; fuiſti hactenus oraculum publicum, potes nunc eſſe regium.

Captas tamen ſolitudinem quantùm potes , & illa te captat ; reddis te tibi qui tandiu dediſti te aliis; oraculum priuatum eſſe vis , qui tandiu fuiſti publicum ; conſulis te ipſum & reſpondes tibi ; examinas rationes tuas qui toties examinaſti alienas, ſtatuis intra te tribunal iuridicum vbi teſtis & actor , & iudex tui, anteuertis diuinam ſententiam dum te accuſas, & abſoluis ; ſic præparas te alteri vitæ intra iſtam , ſic mortem fallis dum incipis æternus eſſe adhuc viuus.

Patere, VIR ILLVSTRISSIME,vt adjungam me ſolitudini tuæ , non interpellabo ſilentium tuum dum ſilebo ; ſi tamen loqui aliquando velis , loquar dum loquêris, dicam quod dices, agam quod ages. Sic eris ſolus etiam me comite, ſic erimus plures, & vnus, ſic erimus duo amantes, ſed tu amicus, ego ſeruus.

TVMVLVS DVORVM AMANTIVM APVD LVGDVNVM ERECTVS.

IAcent intra hunc tumulum duo Amantes,
Et adhuc ſe amant;
Extincta eſt vtriuſque vita, non flamma;
Adhuc viuit ignis ſub cinere,
Erupturus foras niſi tegeretur hoc lapide:
Fluxerunt decem ætates cum amare cœperunt;
Perierunt mille anni, amor non periit;
Viuit adhuc & penè vrit,
Nec obruit illum lapis, ſed tegit,
Ipſe intra hoc ſepulchrum quaſi intra ſacellũ eſt,
Hoc primum amoris miraculum, audi alterum,
Iacent intra hunc tumulum duo amantes, ſed virgines,
Inuênit conjugium caſtos, & effecit;
Primo nuptiarum die vouerunt amorem, ſed virginem;
Idem thalamus conjunxit vtrumque, & diuiſit:
Conjugium fuit animorum, & diuortium corporum:
Nunc quoque idem mortuis thalamus eſt,
Idem conjugium cinerum & diuortium,
Iacent contigui conjuges, & impermixti;
Et quorum amores virgines fuêre,
Virgines quoque ſunt cineres.

Extra vrbem conditi ſunt,
Minus ſecura eſt intra vrbes virginitas;
Ad ripam Araris ſitus eſt tumulus,
Hic quoque fluuius virgineus eſt.
Nubit Arar Rhodano, & vterque conjux eſt caſtus;
Idem vtrique alueus eſt, & quaſi thalamus,
Voluunt contiguas aquas, & impermixtas;
Intrant Oceanum conjuges, & manent virgines:
 Nec Herodis hic tumulus eſt, nec Herodiadis;
Adulterium vtriuſque fuit, non connubium,
Vterque ante obitum corruptus,
 Integer eſſe non poſſet poſt cineres,
 Nec Romani fuere hi duo amantes, neq; Ethnici;
 Sciri vellet Roma ſi eſſet patria;
 Neque eſſent caſti ſi eſſent Ethnici:
Ne quære quinam ſint? latêre voluerunt;
Declarant tamen nomen ſuum, dum diſſimulant;
Chriſtiani ſunt conjuges & virgines,
Nec ignoti eſſe vellent, niſi eſſent Chriſtiani:
Nec tam fidelis eſſet amor niſi eſſet conjugalis,
Nec tam diuturnus niſi eſſet purus.
 Subſtitêre Lugduni nobiles amoris exules,
 Aduenæ Lugdunenſes dum viuerent,
 Poſt mortem indigenæ:
* Aruernos fuiſſe hos amantes conjectura eſt.
 Tenacis amoris ſunt Aruerni, & tenacis virtutis,
 Aut amantes ipſi, aut eorum amor Aruernus eſt,
 Facis Lugdunenſes Moyrone dum ædibus donas,
Accipis ab illis nomen, & reddis,
Hoſpes es duorum amantium, & amas tertius,
Et ſolitudo olim duorum amantium,
Nunc eſt trium.

* *Gregor. Turon.*

SOLITVDO

SOLITVDO
D. IOANNIS BAPTISTÆ.

NEMO ſolitudinem adiuit maturius,
Nemo habitauit diutius,
Infans ad ſyluas delatus
Vixit inter Angelos, & penè Angelus fuit.
Creditur ab Angelis eruditus,
Alios certè magiſtros non habuit,
Didicit ab illis diuina verba & humana,
Quæ totis triginta annis non dixit.
Poſt tam altum ſilentium
Nihil niſi vox & clamor fuit,
Nec lingua tantum, ſed omnibus membris Præco,
Digito Agnum Dei oſtendit,
Totum deinde dextera tetigit,
Impoſuit manum capiti, & aſperſit,
Et medius inter Patrem, & Deum hominem fuit.
Trunco deinde capite vocalis Herodem terruit,
Denique occiſus ad Limbos Præcurſor iuit,
Vir omnino magnus, & ſolo Deo minor
Præco Cl Chriſtum Præconem habuit,
Vox clamantis in deſerto,
Echo vocis, & aduerbium VERBI,
Debet ſolitudini id totum quod fuit,

Solitudo Diuæ Mariæ Magdalenæ.

I.

HÆc optimam partem elegit,
Dum elegit ſolitudinem,
Porro vnum eſt neceſſarium,
Elegit hoc vnum.

II.

Nihil deeſt ſolitudini, vbi omnia deſunt;
Deeſſe nihil poteſt, vbi Deus eſt.

III.

Intra vrbem peccatrix, extra innocens fuit,
Nemo ferè ſolus peccat, ſola erat.

IV.

Multum amauit quæ multum peccauerat,
Correxit amor diuinus, quod humanus deliquerat.

V.

Fleuerunt amor, & dolor, & miſcuere lachrymas,
Concepit lachrymas amor, dolor elicuit.

VI.

Quantum lachrymarum dederit, ex eo collige,
Adhuc flet rupes, & lachrymis fluit.

VII.

Ne quære quid intra ſpeluncam Maria ageret;
Prægustabat delicias Cœli, quas modo percipit.

VIII.

Rapiebatur quotidie ad valuas Cœli,
Et adhuc mortalis, æterna penè erat.

IX.

Quid ex eo monte Propheta viderit, non ſatis liquet,
Altius iuit Maria, & plura vidit.

X.

Martha, Martha ſolicita es erga plurima,
Dum paſcis Chriſtum, Maria paſcitur.

SOLITVDO
CHRISTI NASCENTIS.

QVALIS hæc ſolitudo naſcentis hominis Dei?
Naſcitur inter dedecora antri dominus Cœli,
Caret loco per quem factus eſt omnis locus,
Antrum & fœnum, palea & nihilum
Domus ſunt Dei, & palatium Regis.
Clamate immortales Angeli, ſilente Natura,
Et VERBVM caro factum eſt, quale miraculum!
Verbum Patris ſilet, quale myſterium!
Deus matrem habet, quale prodigium.
Erant Ioſeph & Maria mirantes,
Puto niſi miracula faceret,
Ipſe miraretur Deus.

Solitudo Nazareth.

Et Nazareth quoque altera Chriſti ſolitudo eſt,
Habitant in ea tres perſonæ ſolitariæ
Ioſephus, Maria, Chriſtus:
Imitantur tres perſonas diuinas,
Et Trinitas creata eſt apud Nazareth.
Exercent artem lignariam Ioſephus, & Chriſtus,
Ponit tyrocinium Deus ſub homine,
Diſcit aliquid qui nihil ignorat,
Docetur fingere rotas, qui finxit ſtellas,

Aſpicit laborantes mater, & ſegmenta colligit;
At heu dedolant arbores olim cruces futuras,
Et mortis ac vitæ hæc officina eſt,
Ioſephe non attingeres arborem,
Si ſcires mortem latere in arbore.
Nec tu Mater ſegmenta colligeres,
Scit Chriſtus, & mortis olim futuræ iam faber eſt.
Aſſueſcit puer cruci olim ferendæ,
Experitur mortem olim futuram,
Et ante mortem, ex cruce iam pendet.

Vita Chriſti priuata.

At qualis hæc vita diuina & ſolitaria!
Scilicet amat latere Deus, & intra ſe eſſe,
Ante mundum conditum Deus intra ſe vixit;
Et ſibi ipſe mundus & domus fuit;
Idcirco intra Deum tres perſonæ ſunt, ne ſolus ſit Deus,
Imitatus ſeipſum vt Deum homo Deus,
Totis triginta annis apud Mariam latuit,
Nec tamen ſolus erat, dum cum matre fuit,
Nec ſolus eſſe poteſt, qui Deus & homo eſt;
Scilicet ſocius eſt homo Deo, & homini Deus,
Et tamen eſt vnus.

ILLVSTRIS

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. CLAVDIO

DE BVLLION,

DOMINO DE LONCHENE, Villiers, Meſzelen, Petit-Mont, &c. Marchioni d'Attelly, de Pamphou, &c.

ELOGIVM SOLITVDINIS.

AMAS Solitudinem, & illa te amat, VIR ILLVSTRISSIME, *amant illam virtutes omnes, & amat illa virtutes: nemo illam odit niſi malus, nemo penè eſſet malus ſi eſſet ſolus.*

Amat Solitudinem ipſe Deus, ante mundum & ante nihilum, ante tempus &

æuum Deus erat ſolus, nec tamen erat ſolitarius : idcirco tres intra Deum perſonæ ſunt, vt ſint ſociæ, exercent intra Deum ſocietatem Trinam & Diuinam, nec Trinitas impedit ſolitudinem, nec ſolitudo excludit Trinitatem.

Et Tu intra ſolitudinem tuam ſolus es, nec tamen Solitarius, exerces tecum eruditam ſocietatem, & multitudinem facis etiam dum es ſolus : Sæpe etiam ſocios admittis, ſed qui ament ſolitudinem, & quos illa amet.

Vidi ego nuper nobilem Eremum tuam, & raptus deliciis loci, elegantia ædium, amœnitate Hortorum, varietate florum, diuerſitate plantarum, puritate arearum, & pulchro ordine rerum omnium, dixi parum admirari me ſi placeat tibi Solitudo tua & Tu illi : incluſiſti intra illam quidquid placere poteſt, excluſiſti quidquid diſplicet.

Nec deſunt pulchræ Solitudini viuaces aquæ, fluunt intra gremium terræ, & ſponte erumperent niſi clauſæ eſſent, patefacto exitu erumpunt adeo puræ & ſalubres, adeo ſuaues dum bibuntur, vt vinum ſuperarent

niſi

niſi aquæ eſſent : deducta ex ſuperiore loco & intra tubos captiuæ reſerato exitu feruntur in altum viuace impetu, deinde languente, tandem moriente, tunc vero quieſcunt tantiſper dum impetus pugnant & ſe ſuperant : mox in guttas diuiſæ deſcendunt, & ludunt dum decidunt.

Nec deeſſe Solitudini ſylua debet, ipſa quoque pars ſolitudinis & ſolitudo eſt, reſidet inter arbores otioſa vmbra, & Solem ac diem excludit vt ſit ſola : ſalutant ſyluam radij Solis dum deambulant, deoſculantur arborum frondes nec lædunt, dum percellunt : inter ramos arborum garriunt aves & canunt quod neſciunt : prouocat canentes hoſpes Solitarius, canit & loquitur, auſcultant aves & reſponderent ſi loqui ſcirent.

Hæc quamquam amœna ſint, nihil tamen amœnius eſt aſpectu loci, videntur ex ſolitudine tua plana camporum, depreſſa vallium, excelſa montium, videntur pendentes ex vitibus uvæ, ex arboribus fruges, & penè guſtantur : Videtur Pons Rhodani, & pontis fornices, & fornicum margines

tam

tam claro intuitu, vt numerari poſſint quæ per Pontem eunt, & ſub Ponte fluunt: Videtur incumbens Lugduno forum Veneris quinque milliaribus diſſitum, & tamen adeo vicinum vt domus tua intra Lugdunum, vel intra ædes tuas Lugdunũ eſſe videatur, nec mirum ſi habitent libenter apud te humaniores Muſæ, & Scientiæ ſolidæ; Scilicet amant Solitudinem omnes, nec amœniorem inuenire poſſunt quam apud te: exercent tecum ſocietatem eruditam, docent te, & Tu illas doces, dicunt res antiquas & Tu addis nouas, aluntur à Te, & Tu illarum nobilis alumnus es.

Pretioſa ſanè hæc omnia, nihil tamen pretioſius eſt quam Tu ipſe: Tu deſignator ædium, Tu author & penè Architectus es, Tu ſeuiſti vites & plantas & flores; Tu digeſſiſti areolas, Tu vinitor & cultor & penè hortulanus es: dicerem aut Muſas aut Palladem aut Apollinem extruxiſſe ædes tuas niſi fabulæ eſſent; Tu citra fabulam ea facis quæ fabula fingit, nec efficit.


Viue igitur intra Solitudinem tuam, VIR ILLVSTRISSIME, *viue tot inter amœnita-*

tes

tes amœnus, inter delicias lætus, inter Scientias eruditus, inter virtutes beatus: Viue intra mundum, & extra mundum, viue vitam præſentem & futuram, aſſueſce Cælo & Deo, vide illum ſæpe, qui ſemper te videt, viue Deo iudice & Te teſte; ille ſatis publicus eſt quem Deus videt; prægu- ſta delicias olim futuras, auſpicare æternitatem intra tempus, incipe immortalis eſſe dum viuis, ſic falles mortem dum occurret, inueniet te immortalem ante mortem, inueniet te iam vixiſſe & adhuc viuere.

Hæc gratulatur tibi & Solitudini tuæ addictiſſimus ſeruus & amicus

P. L.



SOLITARII ANIMI SOLILOQVIVM.

HIC ſolus mecum viuo, mundoque carêre
Incipio, & rebus præſens aſſueſco futuris;
Ne rudis æternam aggrediar poſt tempora vitam,
Et Cœlo nouus hoſpes eam. Quam viuere ſecum,
Quam dulce eſt ſocium eſſe ſui, mundoque ſilêre,
Et ſoli narrare ſibi: tria tempora vitæ
Enumero, lapſoſque annos, annoſque futuros,
Et ſi quid medium eſſe poteſt. Quid inanius annis
Præteritis? periêre ſibi, nihiloque creati
Ad patrium redière nihil; præſentia fallunt
Momenta, & dum ſtare puto, pars altera fluxit,
Pars fluit, & firmum nihil eſt, niſi mobile punctum,
Hoc quoque dum præſens cerno, iam ex parte periuit,
Et partes iam punctus habet; nec firmior ætas
Craſtina, dum nondum eſt, nihil eſt; dum venerit hora,
Hora fluet, fietque nihil dum fluxerit hora,
Iacturæ cauſa ipſa ſuæ: nec tempora ſola
Intereunt, moritur communi funere mundus,
Et mortis tempus cauſa eſt; rapit omnia ſecum
Dum rapitur, periit qui quondam vixerat orbis,
Nunc alius viuit, ſuccedunt orbibus orbes,
Fataque ſuccedunt fatis, edit omnia tempus,
Et tandem ſe tempus edet.
Ergo age fallamus morientis funera mundi;
Hîc ego pendentes annos, & tempora fallo,
Æternos prægusto dies, momentaque nunquam
Lapſura,

Lapſura, & quondam æternus poſt fata futurus.
Incipio æternus fieri, mediuſque ſuperſum
Intra horas, extraque annos; hîc incola mundi,
Et mundum ſupra viuo, & ſublimia luſtrans
Huc eo cœleſtis quo nos inuitat origo,
Et patrias inquiro domos; hîc corpore ſenſim
Excedo, & morti viuus præludo futuræ;
Et ſine morte mori incipio; ſic fata ſororum,
Hoſtileſque manus, & fila nocentia fallo,
Et fati Parca ipſe mei noua ſtamina voluo.
Hîc aſſueſco Deo, vocemque audire loquentis;
Et tolerare Deum diſco: ſecedite curæ,
Hîc licet alternas audire, & reddere voces,
Atque hominem miſcere Deo; O commercia Cœli
Humano maiora animo! quis mutua verba,
Quis teneros ſenſus, puroſque enarret amores?
Lingua ſile, debent diuina arcana taceri,
Arcanus vult eſſe Deus.

INDEX

INDEX
TOTIVS OPERIS.

PARS PRIMA.

Continet Poëma Epicum ſex Libros.

SYNOPSIS Libri primi.	*pagina* 1
Synopſis Libri ſecundi.	*p.*22
Synopſis Libri tertij.	*p.*44
Synopſis Libri quarti.	*p.*65
Synopſis Libri quinti.	*p.*83
Synopſis Libri ſexti.	*p.*101

PARS SECVNDA.

Panegyrici.

PAnegyricus Gratiæ & Libertatis.	*p.*116.*ad* 117
Panegyricus ob Rupellam captam.	*p.*124.*ad* 125
Proſopopœia Angliæ poſt Raanam pugnam.	*p.*145.146
Epiſtola Vrbani VIII. ad Tŏëraſium.	*p.*148.149

PARS TERTIA.

Syluæ.

ARiſtus Paſtor.	*p.*150
Carlomannus.	*p.*151.152
	Androdus

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Votum pro Delphino.	p.158.159
Votum pro Delphino futuro.	p.160.161
Horoſcopus Delphini.	p.162.163
Claua Herculis.	p.164
Ludouici Paraneſis ad fratrem.	p.165.166
Proſopopœia Brema.	p.167
Proſopopœia Dunkerka.	p.168
Mommedium captum.	p.169.170
Votum diuturna vita Arm.Richelio.	p.171.172
Lugduni & Maſſilia pugna amica.	p.173.174
Protrepticum Lyricum.	p.175
Protrepticum Heroicum.	p.176
Morbus & votum Authoris.	p.180.181
Fratris interitus.	p.182.183

PARS QVARTA.

Miſcellanea.

SAcra Syndon Biſontina.	pag.184.185
S.Saleſij Paraneſis ad Geneuam.	p.188.189
D.Xauerio Carmen Proſcleticum.	p.190.191
Hymnus S.Ignatio.	p.193.194
Hymnus S.Xauerio.	p.195.196
Epiſtola Patris Æterni.	p.197.198
Epiſtola Verbi Æterni.	p.200.201
Epiſtola Spiritus S.	p.203.204
Natura munus Chriſto nato.	p.205.206
Proſopopœia Creta.	p.208.209
Clementis IX. Carmen votiuum.	p.212.213
Querela Noui Teſtamenti.	p.214.215
D.Paſchalis Epitaphium.	p.217
Epitaphium noua Doctrina.	p.219
Epigrammata ſymbolica.	p.220.221
Vienna ſubterranea.	p.224.225

Proſopo

Androdus. p.153
Alexis & Leonis amor. p.154.155
Proſopopœia Hollandiæ bellum metuentis. p.227.228
Protrepticum ad Principes Europæ. p.229.230

PARS QVINTA.

Solitudo.

D. *Brunonis Elogium.* p.231.232
D R. P. Ioannis Pegon Generalis, Eleg. p.234
Inſcriptiones ſolitudinis. p.235.236
Solitudines virorum illuſtrium. p.238.239
Symbola ſolitudinis. p.240
Vita priuata & publica. p.241.242
D.Moyron ſolitudo. p.243.244
Tumulus duorum Amantium. p.245.246
Solitudo D.Ioannis Baptiſtæ. p.247
Solitudo S.Magdalenæ. p.248
Solitudines Chriſti. p.249.250
Illuſtriſſim. D. de Bullion, Solitudo. p.251.252
Soliloquium animi ſolitarij. p.256.257

FINIS.

Errata.

Renouemus non remouemus.	p.17
Cœna non Scena	p.40
cedimus non ludimus	p.49
nomina non omnia	p.58
aceto non acuto	p.59
pendet non pende	p.97
ipſo non ipſæ	p.102
date non data	p.111
Satur non ſator	p.116
fragmina non fragmine	p.133
deficiunt non deficiant	p.141
nefaſtum non nefauſtum	p.141
nec non &	p.141
nunc non me	p.143
monentem non mouentem	p.146
premit non premis	p.147
& non vt	p.147
branchiis non brachiis	p.196
quo non quod	p.208
clientis non clietis	p.216

Digitized by Google